



# Dissertatio medica inauguralis de syringitide

<https://hdl.handle.net/1874/340456>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

**SYRINGITIDE.**

DISSEMINATIO LIBRARIA IMPERIALIS

84

# SYRINGITIDA

LIBRI

SYRINAE SYRINAE LIBRARI

SYRINAE SYRINAE LIBRARI

# GEORGII CUIILIUM ARTEDE

SYRINAE SYRINAE LIBRARI

SYRINAE LIBRARI

SYRINAE SYRINAE LIBRARI

SYRINAE

SYRINAE SYRINAE LIBRARI

SYRINAE LIBRARI

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

**S Y R I N G I T I D E**

QUAM

FAVENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**GEORGII GUILIELMI VREEDE**

JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO

**PRO GRADU DOCTORATUS**

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AG PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO - TRAIECTINA


RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

**CONRADUS CAROLUS JOHANNES DE RIDDER**

E PAGO WAMEL GELRUS

A. D. IV. M. OCTOBRIS A. MDCCXLV HORA V.



TRAJECTI AD RENUM

APUD KEMINK & FILIUM TYPOGRA.

MDCCXLV.

CONTINUATION OF THE HISTORY OF  
THE CHURCH OF ENGLAND  
BY JAMES GIBBON, D.D.  
VOLUME THE EIGHTH.  
LONDON: PRINTED FOR T. SPINK,  
AT THE SIGN OF THE CROWN AND STARS;  
AND FOR T. WHITTAKER, AT THE SIGN OF  
THE ROSE AND CROWN, IN PATERNOSTER-ROW.  
MDCCLXVII.

VIRO GRAVISSIMO

NICOLAO DE RIDDER

CIVIUM GUAMELIENSIS RECTORI

PATRI OPTIMO CARISSIMO

NEC NON

VIRO AESTUMATISSIMO

NICOLAO DIDERICO KEMINK

PLURIBUS MIHI NOMINIBUS DILECTO

D. D. D.

AUCTOR.

## NICOTYD & RIBOLD

mettez en vente

## LA VILLETTA

## NICOTYD DIDERICO REINIER

Quand un homme a une idée dans sa tête, il ne peut pas la faire sortir de son esprit, et il ne peut pas non plus la faire entrer dans l'esprit d'autrui. C'est pourquoi il est très difficile pour un homme de faire ce que l'autre a fait. Mais si l'autre a une idée dans sa tête, il peut la faire sortir de son esprit, et il peut la faire entrer dans l'esprit de l'autre. C'est pourquoi il est très facile pour un homme de faire ce que l'autre a fait.

## PRAEFATIO.

---

Quum unicuique, munus doctoris petenti, conscribendi speciminis incumbat officium, hac necessitate me quoque coactum vidi, ut dissertationculam meā operā conscriptam, in lucem ederem. Tantum abest, ut vana gloriola me pelliciat, ut, nisi lege adstrictus essem, ab hac scriptione omnino destitisset: quodsi quis scriptiunculam meam inspiciet, hanc mihi excusationis causam habeto.

Minime hoc mihi proponendum putavi, ut studiorum meorum fructus publici facerem juris; utilitatem mihi ipsi pariendam primo loco respexi, et quum otoūatriae parum operae navassem, lubenter argumentum arripui a Cl. Promotore mihi propositum, ne inciderem in re-

*prehensionem a nobilissimo Viro Astley Cooper enunciataam, sc. quod haud vulgare sit, in medicis accuratam auris ejusque morborum cognitionem reperiri.*

*Lubenter, nisi variae causae me commovissent, ut vitae academicae finem imponerem, libellum huncce pleniorum reddere voluissem. Magno mihi etiam fuit impedimento, quod fontes necessarii quidam mihi deērant, quae res rei peritum non celabitur; itaque nonnullorum scriptorum, quae ipsi mihi inspicere non contigit, vel excerpta, vel relata, vel allata ab aliis uti debui.*

*Inanem citationum ostentationem evitari, neque eas adhibui, nisi ubi opus esse videbatur; quae ipse laudavi, legi.*

*Restat, ut vobis, Viri Clarissimi! quorum institutione hac in academiā gavissus sum, gratias agam: primo loco, vobis, Viri Nobilissimi, qui in disciplinis naturalibus utilissimam semper studiorum materiem mihi praebuistis; non minus grata jucundaque mihi erit memoria illorum inter Vos, quos, eheu! acerba mors nobis eripuit.*

*Tibi vero, Cl. Schröder van der Kolk, Promotor aestumatissime! solvatur tributum animi pro eximiā tuā institutione in medicinae fundamentis mihi datā; tum praesertim singularem benivolentiam atque auxilium, quibus me in conscribendo hocce specimine adjuvisti, grato semper animo recordabor.*

*Permulfum me Tibi quoque debere, Vir. Cl. Suerman, facultatis Nestori! nunquam non profundi mihi erit officium, quum cum in medicinā, tum in chirurgiā praeclaris tuis praeceptis perpetuo mihi adfueris, meisque utilissimam operam praestare haud recusaveris.*

*At Tibi quid dicam, carissime Praeceptor Loneq?  
quî unquam meritas gratias Tibi agere potero pro iis,  
quae Tibi debo? Si quando in gravissimâ illâ medi-  
cinae parte, cui, te duee et auspice, operam dedi, et  
in quâ Tu mihi viam rationemque monstrasti, aliquid  
valebo, hoc omnino jucundissimae tuae utilissimaeque in-  
stitutioni tribuendum esse laetor.*

*Vivite felices, Viri Nobilissimi! utinam D. O. M.  
Vos Vestrosque ad gloriam decusque Academiae, ad  
salutem patriae, diu servet incolumes!*

*Tu quoque, Vir doctissime Mulder, Chirurgiae et  
Artis Obstetriciae in hac Academia Lector eruditissime!  
tum institutione, tum utilissimis ad scribendum praesi-  
diis mecum communicatis, optime de me meruisti.*

*Vos denique, Viri juvenes, quibuscum in sodalitiis:  
Felix qui potuit rerum cognoscere causas et Aescu-  
lapio Sacrum studiorum similitudine et amicitiae vincu-  
lis conjunctus fui, vivite, valete! Vestrum imprimis,  
quos carissimos habui, quibuscum utile dulci miscere et  
persequi studui, quamvis per totum fere orbem terrar-  
um a me distracti sitis, memoria et recordatio mihi  
gratissima usque manebit!*

---

Die Natur ist ein großer, unendlicher Raum, der allein  
die Seele des Menschen zu erhellen scheint; aber sie ist  
nicht so reich, dass sie nicht viele Täuschungen und  
Fehlungen bringt. Aber sie ist sehr weise und hat  
eine große Menge von Wahrheiten, die sie uns  
offenbart. Sie ist eine Mutter, die uns alle möglichen  
Dinge lehrt, um uns zu helfen. Sie ist eine Mutter,  
die uns alle möglichen Dinge lehrt, um uns zu helfen.

### HUMBOLDT'S LECTURE

Das wichtigste Resultat des sinnigen physischen  
Forschens ist dieses: in der Mannigfaltigkeit die Ein-  
heit zu erkennen, von dem Individuellen alles zu  
umfassen, was die Entdeckungen der letzteren Zeit-  
alter uns darbieten, die Einzelheiten prüfend zu son-  
dern und doch nicht ihrer Masse zu unterliegen, der  
erhabenen Bestimmung des Menschen eingedenk, den  
Geist der Natur zu ergreifen, welcher unter der Decke  
der Erscheinungen verhüllt liegt.

A. VON HUMBOLDT.

## CAPUT PRIMUM.

### ANATOMIA TUBAE EUSTACHIANAE. 1)

Difficile ad statuendum est, quo tempore illa tuba detecta sit. Aetate Aristotelis jam nota fuisse videtur communicatio inter pharyngem et aurem externam, et Vesalio et Ingrassiae cognita fuit: multo tamen accuratius in ea describenda Eustachius versatus est in *Tractatu de auditus organo*. Anno 1564.

Proficiscitur tuba a tympani parte anteriori et inferiori, ante promontorium, antrorum introrsum atque inferius vergens, et cum meatu auditorio externo angulum faciens graduum 135: decurrit in parte petrosa ossis temporum, dum semicanalis musculi tensoris

1) Sive canalis palatini tympani, ductus Eustachii, tubae acusticae.

tympani ad superiorem, canalis caroticus ad inferiorem partem siti sunt; extendit se juxta partem inferiorem fissurae Glaseri; in eadem directione pergens posita est supra fossam musculi tensoris palati mollis, et terminatur prope basin paginae alae internae processus pterygoidei ossis sphenoidei aperturâ ovali, et quum tubae cartilagineae pars interior parumper emineat, labia formantur, quorum minus, inferius, formatur alâ internâ processus pterygoidei et transit in alterum majus, superius, posticum, diametri lineae  $1\frac{1}{2}$ , quibus labiis annulus formatur tumidus (non valvula neque plica). Ad partem illam inferiorem et anteriorem musculi circumflexus et levator palati mollis affixi sunt, quare tubae partem dilatari et inferius anterius moveri posse nobilissimi anatomici praecedentis saeculi putabant.<sup>1)</sup>

Aperitur in faucium parte postica, supra palatum mobile, aequo alte atque primus ductus nasi; scilicet tubae margo superior convenit cum hujus margine superiori, margo tamen inferior orificii tubae paulo inferior est quam fundus primi ductus nasi.<sup>2)</sup> A basi

1) Videatur inter alios Morgagni, *Epist. Anat.* VII. § 26.

2) Haec in descriptione Linckium secuti sumus. Kuh orificio pharyngeum tam altum esse statuit, ut altitudine aequaret medio nasi ductui, quae opinio imagine Buchananii confirmaretur, in qua caput multo nimis anteriorem partem versus inclinatum est: Saunders contra caput posterius versum facit, quo facto orificio pharyngeum sub imo nasi ductu collocatum esset. Quod attinet ad marginem inferiorem, in hoc Cramerus, *Die Erkenntniss und Heilung der Okkrenkrankheiten*. Berl. 1836. pag. 243. convenit cum Linckii descriptione, superiorem vero eadem altitudine esse statuit atque lineam horizontalem medii nasi ductus.

cranii, aequa atque a parte postica pharyngis, distan-  
tia aperturae erat 6-7 linearum. Ab apertura nasi orifi-  
cium illud pharyngeum distat pollices duos et dimi-  
dium, quod scire momenti est. Ostium pharyngeum  
11-12 lineas inferius situm est quam quidem ostium  
tympanicum. Si fingeremus nobis lineam per utramque  
tubam ductam, hae lineae convenienter ad partem in-  
feriorem et posteriorem vomeris, quae lineae cum du-  
ctu nasali angulum efficerent graduum 130-140.

Auctore Huschke<sup>1)</sup> in tuba duplice curvatu-  
ram observare licet, nempe, si canalis a parte super-  
iori conspicitur, refert formam literae S paulo flexae,  
cujus prima curvatura est in parte osseâ, altera in  
parte cartilagineâ: praeterea scriptor ille commemo-  
rat parvam etiam flexionem parietum ipsorum, quam  
cum flexu fibulae comparat.

Longitudo totius canalis est in adulto 14-17-18  
linearum, quarum pars ossea aequat 5-7 lineas, car-  
tilaginea contra 10-12.

Quod attinet ad formam, comparaverunt eam tu-  
bam acusticam cum duobus conis diversae magnitu-  
dinis, quorum apices truncati sibi oppositi et secum  
invicem conjuncti sunt. Non prorsus tamen cylin-  
drica est, quum ejus pars inferior angustior sit quam  
quidem superior et magis canaliculata. Linckius<sup>2)</sup>  
monet ostii tympanici sectionem verticalem esse 2,

1) Sommering, *Vom Baue des menschlichen Kör-  
pers.* Lips. 1844. Vol. V. pag. 834.

2) *Handbuch der theoretischen und praktischen  
Ohrerkrankheiten.* Lips. 1837. vol. I, pag. 147. sqq.

(Huschke  $2\frac{1}{2}$  linearum), horizontalem 1 lineae. Ubi secundus conus osseo canali adaptatur, angustissimus est ductus,  $\frac{3}{4}$ - $1''$  habet altitudinem et  $\frac{1}{2}'''$  latitudinem, (altitudinem contra  $1\frac{1}{2}''$ , latitudinem  $\frac{1}{3}$ - $\frac{1}{4}'''$  ponit, et prope angustum hunc locum, paulo anterius sectionem verticalem habere  $\frac{3}{4}''$ , hoc loco tamen latitudinem majorem esse in parte inferiori, statuit Huschke<sup>1)</sup>), et quum sensim sensimque canalis amplior fit, hiat in pharynge aperturā altitudinis 3-4 linearum et  $1\frac{1}{2}$ - $2'''$  latitudinis.

Partes sunt: os, periostium, cartilago, tela fibrosa intermedia, membrana mucosa.

Pars ossea non ubique ejusdem est crassitudinis: margo externus atque inferior crassior est; internus laminā formatus inter partem horizontalem (flexuram secundam) canalis carotici, tenuior est; margo superior, tenerrimā tantum laminā compositus, tenuissimus est.

Pars cartilaginea ex duabus (interdum ex tribus secundum Hallerum<sup>1)</sup> partibus composita est, quarum interior, major, inde a parte osseâ ad pharyngem usque decurrit, et ibi pro parte format annulum supra dictum; altera minor est, neque adtingit tubae ostium, et secundum Cloquet saepe desideratur. Canalis non ab omni parte cartilagine clauditur, sed solummodo ejus margo inferior interiorque; quae de sunt ad formandum canalem supplet materies fibrosa, cuius ope etiam duae cartilagines invicem firmiter conjunguntur. — Pro diverso loco cartilago diversum

---

1) *Elementa physiologiae*. Vol. V. pag. 223.

praebet colorem, vel album, vel flavum. (Pappenheim<sup>1)</sup> Krause). Benevolus Promotor, eximio suo Dollondi microscopio, mihi monstrare haud recusavit telas nonnullas ad tubam pertinentes, quingenties magnitudine naturali auctas, inter quas etiam ejus cartilaginem. Apparebat eam pertinere ad telas fibrocartilagineas: in illâ vidimus cellulas granulosâ substantiâ repletas; cellulae illae cellulam centralem continebant cum nucleo: doct. Pappenheim l. c. observavit flavam cartilaginem constare ex magnis cellulis, non semper magnitudine et formâ similibus; continebant corpusculum cartilagineum, (Knorpelkörper), in quo insuper inveniebat nucleum in medio positum, (Centralkern), in quo etiam nucleolus inerat.

Tela fibrosa intermedia (Zwischenknorpelsubstanz) constat ex fibris tendinosis.

Tela cellulosa tensa atque compacta cylindrum cartilagineum affingit partibus adjacentibus, sc. aspero margini tubae osseae, apici partis petrosae ossis temporum et radici paginae internae alae internae processus pterygoidei.

Membrana mucosa pharyngis in tubam continuatur. Prope pharyngem ejus tela est crassa, mollis, multis vasis praedita et magna quantitas glandularum in illa membrana inest, quae glandulae interiora versus sensim sensimque evanescunt, et secundum Pappenheim constant ex cryptâ simplici, cellulas epithelii (Epitheliumzellen) continente. Quo magis mucosa ad cavitatem

---

1) *Die specielle Gewebelehre des Gehörorgans.*  
Bresl. 1840. pag. 39.

tympani accedit, eo tenuior fit, glabrior, magis alba; secretum, quod prope osteum pharyngeum crassum est, tenuius fit. Per totum canalem vidimus epithelium stratum, (Pflasterepithelium), cellulas minores et etiam epithelium ciliatum (Flimmerekithelium), quod observationibus Pappenheim et Huschke contrarium est: prior nempe hoc epithelium ciliatum in illa parte, quae cartagine formata est, hic in parte osseâ deesse monet. Quod ad formam cellularum, illae conveniebant cum cellulis epithelii ex viis aëriferis hominis sumptis, quarum formam depinxit Valentin. <sup>1)</sup> Nonnullas vidimus magis infundibilem formam referentes, paucas quarum cauda latior et magis rotunda erat, et quamvis cellulam non tam explicitam invenimus, quem in tracheâ humanâ vidit Valentin, quam depinxit I. c. fig. VIII. b., cum illa multum normâ conveniebat. Quod attinet ad magnitudinem cellularum, a Valentin in viis aëriferis atque naribus 0,007 - 0,011 millimetris aestimatam, longe differunt quae a cl. Promotore inventa sunt: majores sc. vidimus et minores; longitudo erat 0,0152 - 0,0507 mill., latitudo 0,0050 - 0,008; ciliarum longitudo aequabat 0,0063 - 0,008. In genere forma cellularum majorum cum forma minorum conveniebat; paucas vidimus, quae, quum ad minores pertinerent, tamen latitudinem referebant majorum. Numerus cellularum majorum prope ostium pharyngeum maximus erat; quo magis in canalem interiora versus processimus, eo plures cellulas minores

---

1) R. Wagner, *Handwörterbuch der Physiologie*, B 1. pag. 497. fig. VI. a.

deprehendimus: in cavitate tympanica cellulas ciliares invenire nobis non contigit.

*Vasa.*

Tam arce inter se cohaerent vasa et nervi tubae atque cavitatis tympani, ut ea separatim exponi non possint; igitur pro parte etiam ramos in cavitate tympanica decurrentes enumerare nobis incumbit officium.

*Arteriae auri mediae sanguinem praebentes, pro parte rami sunt ex art. carotide externâ, sc. art. pharyngea ascendens, auricularis posterior, temporalis et maxillaris interna; pro parte etiam carotidis internae ramuli ad tubam E. decurrunt.*

*Art. pharyngea ascendens ramum emittit sc. pharyngobasilarem, qui ad cavitatem tympani ramulos edit, sed praesertim ad tubam, et in membrana mucosa, illas partes convestiente, rete formant arteriosum.*

*Ex art. auriculari posteriori oritur art. stylo-mastoidea, per foramen hujus nominis canalem Fallopii intrat et in illo decurrit<sup>1)</sup>, ramum emittit in m. mucosam cavitatis tympani, ramum in musculum stapedium, plurimos in cellulas mastoideas, in fenestram ovalem. Quum ad hiatum canalis Fallopii pervenit, anastomosin init cum ramo ex art. meningea media, ex qua anastomosi ramus recurrit per superiorem*

<sup>1)</sup> Aberrationes observavit Hyrtl et descriptis in *Vergleich-anatomische Untersuchungen über das innere Gehörorgan des Menschen und der Säugetiere*. Prag. 1845. pag: 41.

cavatis tympani parietem, inter crura stapedis decurrit et ad promontorium terminatur.

Ex art. temporali (interdum ex art. maxillari internâ) arteria provenit tympanica sive ramulus acusticus art. temporalis; per fissuram Glaseri in cavitatem tympani pervenit, in membranam mucosam ejus parietis externi sese dispergit et cum ramulo arteriae praecedentis (stylo-mastoideae) rete efficit arteriosum.

Ramulus ex art. meningê mediâ (ramo art. maxillaris internae) per hiatum canalis Fallopii illum canalem intrat, et, uti jam monuimus, cum art. stylo-mastoidea anastomosin init, cuius ramuli in cavitatem tympani disperguntur. Ubi adest art. meningea accessoria, illa tubae E. ramos dat. (Pappenheim).

Art. carotis interna, antequam canalem caroticum intrat, ramulum emittit ad tubam E.; alterum ex canali ipso, inter primam et secundam flexuram, per suum quoddam foramen ad latus anterius cavitatis tympani, promontorium et tubam.

Vene ejusdem sunt nominis atque arteriae, et conjunguntur cum plexu auriculari, cum pharyngeo et cum vena meningea media.

*Vasa lymphatica* verosimiliter vasa sanguifera comitantur.

### Nervi.

Nervi per aurem medianam decurrentes tam multi, eorumque decursus per canales osseos tam subtilis est, ut praecedentis seculi summorum virorum in

scientiâ anatomicaâ ingenii acumen, eruditio et obser-  
vandi investigandique sollertia requireretur, ut illos  
accurate cognoscerent. Quae adhuc deessent, eximiis  
suis inquisitionibus nostro tempore supplevit vir no-  
bilissimus Arnoldus, quem imprimis in sequenti ex-  
positione secutus sum.

Ex angulo posteriore ganglii spheno-palatini ori-  
tur nervus petrosus superficialis major sive n. Vidianus  
superficialis major. In canali Vidiani ad ramum pro-  
fundum (n. sympathici) proxime applicatur, minime  
vero aretius cum eo coniungitur, eumque ad canalis  
aperturam posteriorem relinquit, massam cartilagino-  
sam inter apicem partis petrosae ossis temporum et  
os sphenoideum sitam perforat, et in ossis petrosi  
superficiem, ganglio semilunari tectus, pervenit. Inde  
in sulcolum, durâ matre tectus, supra tubam Eu-  
stachianam oblique ascendit, intrat per aperturam,  
hiatum dictam, canalem Fallopii et ad nervi facialis  
genus tendit, atque intumescentiam ganglioformem in-  
trat. Nervus noster in nervum facialem transit, at-  
que ei sensibilitatem praebet secundum Longet:  
eundem integrum aliquanto inferius, nomine tantum  
mutato, rursus a nervo faciali discedere et chordam  
tympani appellari, quod sunt qui contendant, recen-  
tiores indagationes non confirmaverunt<sup>1)</sup>; etiam ex-  
perimentum physiologicum, quod, si chorda t. in tym-  
pano irritetur, sequatur motus museuli buccinatorii, a

1) Videatur inter alios Arnold, *Der Kopftheit des ve-  
getativen Nervensystems*. Heidelb. 1831. pag. 82.

Volkmann observatum<sup>1)</sup>, abunde probat ejus oritum ex nervo movente.

Ramulus oritur tenerrimus ex parte superiore posteriore ganglii otici, qui ad art. meningeam medium ascendit, tubam E. intrat et in anteriorem musculi tensoris tympani partem se confert. Etiam ramus n. pterygoidei interni, ganglion illud perforans, ad illum musculum tendit. Porro ex hujus ganglii parte posticâ plurimi oriuntur nervuli, qui conjunguntur cum n. petroso superficiali, quo cum verosimiliter usque ad membranam tympani decurrunt (Bock). De ultimo nervo, sc. de nervo petroso superficiali minori, qui finem imponit nervo tympanico, deinceps magis aptus erit locus dicendi.

N. Facialis una cum n. acustico meatum auditórum internum intrat, et, quum hoc in meatu parvis filamentis cum illo conjungitur, intrat in meatus foramen superius et totum canalem Fallopii percurrit. Statim in illum canalem intrans, facit intumescentiam dictam ganglioformem. Ut jam monuimus, n. petrosus superficialis major ibi inseritur; truncus nervi cum n. tympanico parvo filo jungitur, aequa ac cum n. sympathico. (Bidder). Per parvos canales inter canalem Fallopii et cavitatem tympani ramulos emitit ad musculum tensorem tympani et musculum stapedium; majorem tamen ramum, chordam tympani dictum, magis inferiora versus per proprium canalem ad marginem posteriorem, prope eminentiam pyrami-

---

1) Wagner, *Handwörterbuch der Physiologie*. B. II.  
pag. 592.

dalem, cavitatem tympanicam intrat, inter manubrium mallei et processum longum incudis decurrit, parvis filis cum n. tympanico et auriculari anteriori conjungitur, nunc per fissuram Glaseri<sup>1)</sup> egreditur et nervo linguali rami tertii quinti paris associatur, et quidem parti ejus posteriori; sed cum hoc quoque nervo chorda tympani multifariam conjungitur; attamen truncum usque in ganglii maxillaris vicinitatem persequi potuit Varrentrapp<sup>2)</sup>, ubi plerumque in duos finditur ramos, quorum alter, qui haud raro multiplex invenitur, una cum aliquot ramulis ex nervo linguali in ganglion maxillare se confert; alter, qui plerumque tenuior existit, in nervum lingualem transit.

Summi momenti est nervus ille ex ganglio petroso originem ducens, a nonnullis n. Jacobsonii dictus, sed non jure, nam Jacobsonius eum neque primus, neque accurate descripsit, quam ob rem denominationem ab Arnoldo propositam, n. tympanici, praeferrandam esse censemus. Quamquam fere nunquam desideratur nervus ille, tamen pluribus quam ullus alius nervus aberrationibus obnoxius est, quae causa est, cur tantum in illius descriptione dissentiant anatomici.

1) Vir doct. Hugui er probare instituit chordam tympani non per fissuram Glaseri exire, sed per canalem angustissimum, longitudinis 5—6 linearum, a latere fissurae egredi. Cruveilhier, *Anatomie descriptive*. Bruxelles 1837. T. II. pag. 219.

2) *Diss. de parte cephalica nervi sympathici*. Francof. ad. M. 1831. pag. 19.

N. tympanicus ex superiore et anteriore ganglii petrosi parte egreditur ad marginem inferiorem ossis petrosi, prope ganglion suum proprium canalem intrat, superius versus et retrorsum in illo curvatur, in parte infima ex parvo canali osseo in cavum tympani intrat. Hinc, quamdiu hac in cavitate decurrit, non amplius canali osseo includitur, sed in sulco tantum promontorio insculpto ascendit. Ex canali egressus statim filamentum emitit superiora posteriora versus ad membranam secundariam tympani, cuius tamen ulteriorem decursum ob nimiam tenuitatem persequi non potuit Arnoldus. Superiora versus ascendit ad promontorium, sed antequam hoc attingit, recipit ramum n. sympathici ex flexu carotico, qui per proprium canalem ex canali carotico in cavitatem tympani pervenit.<sup>1)</sup> Ex parte anteriore trunci, paulo altius, ramum effundit ad tubam E. (qui interdum duabus radicibus incipit); initio ad marginem internam cavitatis tympani decurrit in sulculo, qui saepe adest, tubam ingreditur, in eius cartilaginem intrat et ad tubae orificium in faucibus usque Arnoldus eum persecutus est. Eodem loco, ad marginem oppositum, saepe etiam ramulus ad fenestram ovalem abit. Truncus porro ascendit ad marginem superiorem interiorem cavitatis tympani usque in eandem altitudinem ac fenestra ovalis et nunc in duos finditur ramos, quorum inferior minor, n. petrosus profundus minor,

---

1) Interdum hic surculus sese conjungit cum ramo ad tubam Eustachianam, uti depinxit Arnoldus in *Tabularum anatomicarum* Fasciculo II. Fig. 20. No. 13.

anterius versus vergit, suo canali inclusus, et decurrens inter canalem caroticum et tubam, in illum pervenit, confert se ad latus externum arteriae carotidis, conjungit sese cum ramo profundo n. Vidiani, et cum hoc ad ganglion spheno-palatinum pervenit. Alter, n. petrosus superficialis minor, inter musc. tensorem tympani et canalem Fallopii ad superficiem ossis petrosi decurrit et ad partem anteriorem et infimam intumescentiae ganglioformis nervi facialis appetet. Cum illa intumescentia parvi fili ope conjungitur, anteriora versus vergit, ad superficiem ossis petrosi se confert, et vel per foramen spinosum, vel ovale, vel per proprium canalem externe appetet atque ganglion attingit oticum.

Alter ramulus ex posteriore parte ganglii petrosi proficiscitur, qui post aliquot linearum decursum cum secundo ramo fortiore, ex ganglio n. vagi orto, jungitur, quorum concursu truncus oritur latus, qui in sulculo in excavatione ossis petrosi, quae bulbi venae jugularis causâ adest, ad hujus venae partem internam decurrit, intrat canalem in lamina existentem inter foramen jugulare et canalem Fallopii, atque hunc intrat. Antequam tamen ad canalem illum accessit, in tres finditur ramulos, quorum minimus sursum decurrit et n. faciali jungitur, alter paulo intensor inferiora versus vergit itemque cum nervo illo faciali sociatur. Truncus tamen, quum in canalem Fallopii pervenit, ibi ad interiorem posteriorem partem n. facialis decurrit, rectâ lineâ pertendens, alterum canaliculum sc. mastoideum intrat, et in medio cursu illo surculum emittit inferiora versus communicatum cum n. auriculare posteriore (nervi facialis), et in fissura ad

marginem anteriorem processus mastoidei, inter meatum auditorium externum et processum illum, externe appetet, auris cartilaginem perforat et in cute atque glandulis cerumen secernentibus ramifications.

Praeterea etiam plerumque ramulum tenuem ad chordam tympani et alterum ad musculum stapedium se invenisse enarrat Varrentrapp. 1)

De conjunctione nervi carotici ex n. sympathico provenientis cum tympanico, suo loco jam monuimus.

1) l. c. pag. 27.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE MUNERE TUBAE EUSTACHIANAE.

---

Huic tubae, semel detectae, summam attentionem tribuerunt physiologi; constitit ex casibus pathologicis tubam E. in sensu auditus magnam habere vim et efficaciam, quare opiniones muneris illius fusius expondere mihi proposui.

Antiqua opinio fuit ductum inservire educendis materiis, sive naturalibus, sive praeternaturalibus in cavum tympani effusis. Materiam diutius retentam effectus noxios producere obstruendo, irritando, impediendo motum ossiculorum auditus et membranae tympani, relaxandis eorum conjunctionibus, et suspicari licet, imo vero probat experientia. Quod inferiora versus tendit, illi muneri perficiendo quam maxime favet. Motus porro vibratorius, quem cellulae cilia-

res, in tuba praesentes, efficiunt, maxime contribuit ad opinionem illam confirmandam, qua mucus ex hoc ductu emitti possit.

Altera opinio spectat aërem cavitatem tympani contentum. Sono fortiore nimis condensatus aér per tubam aptum habet egressum, quo explicatur sensus titillationis post vehementem sonum in pharynge perceptus. Etiam tormentorum ministri in ipso torquenti actu os aperire dicuntur, ut ita aëri egressum faciant.

Praeterea ejus munus est aequilibrium aërem inter in cavo tympanico praesentem et aërem externum atmosphaericum restituere, ita ut membrana tympani suos motus rite perficere possit (Müller<sup>1</sup>) hoc videtur munus praecipuum). Enarret Cooper<sup>2</sup>) casum, in quo tubae E. ostium angustum factum erat, aëris tamen aditum non prorsus impeditus. Ut rite audiret, aeger aërem ex cavitate oris in cavitatem tympani premebat, quo efficiebat, ut membrana tympani paululum in canali auditorio externo prominaret; leviore pressione, digito in externam aurem immisso, parvam aëris quantitatem reprimebat, et, quum hac ratione membrana tympani rite vibrare posset, aliquamdiu bene audire poterat. Si ab omni parte prorsus clausa esset cavitas tympani, aér illâ cavitate contentus moveri non posset. Itaque eandem habet utilitatem hoc foramen atque in

<sup>1)</sup> *Handbuch der Physiologie des Menschen*. Coblenz 1840. Bd. II. pag. 450.

<sup>2)</sup> Gilbert, *Annalen der Physik*. Bd. 44 pag. 412.

tympano (Itard), vel in instrumento musico quod vocant *viool* (Henle). Aërem respiratione renovari quis sentit ex cubiculo calido in aërem frigidum transiens. Omnia aëris motum impeditia soni claritatem diminuunt, stenochoria ex. gr. membranae mucosae tubae E., cuius effectus noxius tollitur quavis exspiratione fortiore, sternutatione, emunctione, oscillatione, quae aërem in cavitatem tympanicam propellunt. Refert Deleau<sup>1)</sup> casum morbi puellae inde a natalibus surdae ex perforatione utriusque membranae tympani, comitante suppuratione cavitatis tympani et obstructione absoluta tubarum; debitâ curâ adhibitâ, suppuratio desii, et rupturae membranarum tympani magis erant clausae, quâ re auditus paulum fuit emendatus, sed postquam ostium pharyngeum apertum fuit et dilatatum, quum per nisum vehementiorem exspirationis aër totum canalem auris mediae et externae penetrasset, horologii pulsationes, quas aliquot minutis ante non nisi unum pedem horologio distante audiebat, statim post, quatuor pedes distante, clare percepit. Addit auctor: Ce fait, et près de vingt autres entièrement analognes, qui m'ont donné les mêmes résultats, s'expliquent très bien, quand on réfléchit à la difficulté du déplacement de l'air contenu dans la caisse du tambour. Les efforts de déglutition, et tous les phénomènes qui se rattachent à la respiration, n'ont, sur lui, aucune action: quand la trompe est obstruée, il ne s'opère aucun mouve-

1) *Journal de Physiologie par Magendie.* 1829.  
pag. 316. sqq.

ment dans la caisse: il ne peut donc être chassé au dehors que par le faible pouvoir de la raréfaction et des ondulations de l'air extérieur; mais sitôt que la trompe est libre, l'air reprend la marche qui lui est assignée dans l'état normal; tous les muscles qui avoisinent ce conduit, concourent, par leur contraction, pour ainsi dire continuelle, au *renouvellement de l'air, qui est partie active dans la fonction de l'audition.* Multum etiam probant exempla a Valsalva<sup>1)</sup> relatâ: si eadem tuba forte claudatur, illico, ut ego comp̄peri, amittitur auditus. Possem hoc forte probare per observationem in patricio Caesenate habitam, polypo narium laborante, qui usque ad uvulam sese extendebat. Quo enim hic polypus magis in dies crescebat, et consequenter, quo magis ad orificia tubarum penitus claudenda accedebat, eo magis in dies auditus aegro minuebatur sic, ut tandem omnino surdus evaserit. Verum ut rem adducam ambiguitatis minus obnoxiam; quidam plebejus ulcus gerebat supra uvulam in sinistra parte, quod quidem eam, quam invaserat, partem exeserat, atque abstulerat sic, ut ulceris cavitas cum extremo sinistram tubae orificio communicaret. Igitur quoties homo mollem turundam remediis imbutam in ulceris cavitatem intrudebat, toties illico sinistrâ aure evadebat surdus, talisque permanebat toto eo tempore, quo turunda in ulcere relinquebatur: statim vero, ac amovebat, pristinum auditum recuperabat: perspicuo argumento, quod reserata tubâ, illico interceptus obtinetur audi-

---

1) *De auro humana tractatus.* Traj. 1707. 4<sup>o</sup>. pag. 90.

tus; occlusâ vero, statim intercipitur, sive tollitur. Alium casum Löffler refert<sup>1)</sup> syphilitici cuiusdam, post febrem baryecoïa laborantis, verisimiliter<sup>2)</sup> ex obstructione tubarum orta, qui post perforationem processus mastoidei usum facultatis audiendi recuperavit, si tamen vulnus linteis carptis tegebat, statim difficilius audiebat, facilius, illis sublatis; quo magis apertura illa sanabatur, eo magis increcebat baryecoïa, aperturâ prorsus clausâ, plane surdus evasit, sed, simul atque aliquo tempore post, operatio repetita est, iterum clare audivit, et quum, immissâ chordâ psalterii posteaque specillo, impediretur, quo minus apertura clauderetur, aegro auditus restitutus est.

Hisce casibus satis refutatur, ut mihi videtur, sententia a viro doct. Hyrtl<sup>3)</sup> nuper enunciata, sc. tubae parietes in statu normali muco conglutinatos esse, et, non nisi vehementiore exspirationis nisu, clausis ore nasoque, a se invicem deduci aērisque transitum admittere posse. Quae sententia si probaretur, fere semper auditus esset gravis: in allatis enim casibus baryecoïa subito sequebatur: auditus etiam, si tuba clausa est, statim restituitur, si, perforatione membranae tympani factâ, aēr rursus liberum ad cavitatem tympani habet aditum, quo tamen mucus non aufertur, cujus experimenti permulta exstant exempla, quodque cl. Promotor saepius observavit. Tin-

1) Richter's *Chirurgische Bibliothek*. Bd. X. St. 4.  
pag. 615-616.

2) Nondam illi ad manum erant methodus et facultas investigandi,  
quae nobis suppeditant.

3) I. c. pag. 52.

nitum et gravem auditum, ex muco vel levi conglutinatione tubae sponte ortum, licuit fere unicuique aliquando in se ipso observare, qui tinnitus tamen continuo deglutiendo vincitur, quo motu tuba iterum aperitur. Multum probant etiam exempla, quorum el. Promotor plures casus, ab ipso observatos, mecum communicavit, in quibus baryecœa gargarismate aluminis cito superabatur, quo membrana mucosa catarrho tumens contrahitur, et ita tuba aperitur. Nonne motus vibratorius ciliorum, educendo muco, conglutinationem parietum prohiberet? Quantitatatem aëris, qui per angustissimam tubae partem transire possit, exiguum esse, facile concedo, sed propterea transitus non prorsus est prohibitus: hoc videmus ex. gr. in minimis bronchorum ramulis. — In statu morboso, uti in syringitide catarrhali, quum membrana mucosa intumuit et muci major copia secernitur, hujusmodi conglutinationem concedere possum, et ex eo quod parietes distenduntur, Cramerus, ut postea videbimus, explicat detonationem illam, quae subintendi in casu ab aegro auditur, quae sententia mihi valde probabilis videtur. — Praeterea structura anatomica tubae mihi favere non videtur opinioni isti conglutinationis ab Hyrtl propositae, quandoquidem tuba in angustissimâ sui parte vel sic tamen constat ex canali osseo mucosâ tenui subducto, unde etiam stricturae hac in parte rarissime observantur. Phaenomenon istud subiti aëris transitus hoc modo etiam explicare possimus, ut, aucta aëris in cavitate tympani pressione, membranam tympani extrosum pelli dicamus, rursusque, incitatâ actione musculi tensoris

tympani, spastice introrsum agi. Porro probabile videtur, si paulum muci in tubae parte cartilaginea adsit, eum aere interiora versus pelli, atque ita cavitatem tympani a pharyngea secludere: ut primum tamen per angustias illas transierit perveneritque in cavum tympani, aequilibrium subito restitui poterit.

Ex opinione praejudicata auctor concludit porro argumentum in casu a Colladon allato, qui operatus urinatorum in mare descendit, phaenomenonque barycoiae ad hypotheticam tantum explicationem sublati aequilibrii refert. Si casus illius descriptionem, accuratius circumscriptam, quam ab Hyrtl factum est, attente relegimus, statim apparet prorsus alios fuisse proprios Colladonis, alios ejus comitum affectus. Restituere enim inde ab initio desessionis, quod operarii faciebant, aequilibrium inter aerem cavitatis tympani atque atmosphaericum neglexerat. Nunc quidem casus ille ita explicari posse mihi videtur, ut, quum ostium tubae majore pressione paulum compressum clausumque sit, quo magis pressio illa augeretur, eo arctius ostium comprimeretur: verum praeterea aer atmosphaericus membranam tympani in cavitatem imprimebat, qua re per catenam ossiculorum auditus stapes fortiter imprimebatur in fenestram ovalem; haec pressio communicabatur cum aquula Cotunni, quae hanc pressionem transferebat in fenestram rotundam, eamque ita extrorsum pellebat, quod cophosin efficiebat. Animadversione etiam per dignum est, Colladonem suam ipsius vocem non audisse, quod obtinebat quidem in ejus comitibus. In oculos incurrit etiam, praeter sublatum aequilibrium,

plures causas affecti auditus concurrere. Aderant phaenomena maxime perspicua congestionis cerebralis, qua nervus etiam acusticus, ut sponte intelligitur, affectus erat. Cerebralem autem congestionem saepius aurium susurrum comitari, quin etiam surditatem efficere posse, nota et trita res est.

Ex his omnibus luculenter constare mili videtur, opinionem illam conglutinationis argumentis, ab Hyrtl allatis, minime esse demonstratam.

Ante Hyrtl Dugès<sup>1)</sup> jam parietes tubae sibi esse contiguos proposuerat, eamque opinionem probare sibi visus erat eo, quod parietes in cadavere sibi invicem adjacere reppererat, quod aliquando prae tumore membranae mucosae facile oriri credimus; in statu sano hoc locum non habere satis tamen refutatur investigationibus Linckii, Huschkii, Cramerii, aliorumque, qui diametrum accurate determinaverunt. Ad sententiam suam stabiliendam afferebat porro phaenomenon detonationis illius, quod supra jam satis firmiter refellisse nobis visi sumus, tum etiam experimentum proferebat horologii ope factum, de quo infra dicendi copia erit.

Tensionem justam membranae tympani inprimis conservat tubae E. apertura, sine qua aëris externi pressio diversa et disruptum aequilibrium cum aëre in cavo tympani occluso, membranae tympani motui libero nocere debent, quum alioquin extra vel intus nimis premeretur. In iis, qui in testu urinatorum po-

1) *Traité de physiologie comparée de l'homme et des animaux.* Montpellier. 1838. Tom. I. pag. 191. sqq.

siti, subitae condensationi aëris atmosphaerici obnoxii sunt, donec aequilibrium restitutum est, (quod sensim sensimque fit) difficulter audiunt.

Aëre nimis sicco partes tenerrimae, cavo tympani inclusae, humiditate debitâ nimis privarentur, quo auditus laedi posset. Membrana mucosa pharyngis aëri, in cavum tympani inclusa, debitam suam praebet humiditatem. Bonnafont opinatur tubae partem cartilagineam mucum secernere, pharyngis muco similem, membranam vero cavum tympani vestientem prorsus accedere ad membranas serosas, quae serum pellucidum, limpidum secerneret; utilitas prioris secretionis esset, quod irritationem rerum heterogenearum, quae per os et nares intrant, obtunderet; secretio vero in cavo tympani inserviret eo, ut frictionem (?) diminueret, motum partium cavo tympani contentarum faciliorem redderet, atque concretionem impediret: hinc etiam morbi tubae E. differentia morbis cavi tympani 1). Certe exhalatio m. mucosae cavi tympani, magis serosa, multum conferre debet, ut ne nervi tenerrimi, cavo tympani contenti, exsiccatione laedantur.

Sunt qui contendant, mutationem chemicam, quam subit parva illa quantitas aëris, occlusione tubae cavo tympanico retenti, sufficere ad diminuendam subtilitatem auditus, quod vero dubitandum. Quantitas enim exigua acidi carbonici exhalati vix aliquam soni differentiam producere posset.

---

1) *Gaz. de Paris.* 1845. No. 15. *Neue Medicin. Chirurg. Zeitung.* Julij 1845. pag. 377. sqq.

Positione igitur tubae eximie consuluit natura, ut novus aër lente cavum tympanicum intret; debitam habeat humiditatem, ejusque temperatura reliqui corporis temperaturae sit aequalis; aër denique cavitatis tympani illâ communicatione tensionis et elasticitatis gradum conservet, ut vibrationes membranae tympani cum ea communicatas rite suscipere possit, et membrana illa inter duas partes aëris, tensione sibi invicem aequales, ita expandatur, ut neque introrsum, neque extrorsum pellatur, atque nunc libere vibrare possit.

Inter antiquiores anatomicos fuerunt, qui existimarent, sonos per cavitatem narium, pharyngem atque tubam cum aëre cavitatis tympani, et ita deinceps eum auro internâ communicari. Positio tubae, qua aër in tympano cum aëre externo communicatur, observatio, qua viderunt nonnullos melius audire ore aperto, phaenomenon denique, quod omnis oclusio tubae, quâcunque de causâ orta, acumen auditus diminuit, illos in hanc opinionem adduxerunt: recentiorum tamen multi hanc theoriam tamquam falsam rejecerunt. Tuba enim, uti dicunt, prope ostium pharyngeum obducitur membranâ mucosâ satis crassâ; aperitur versus paginam inter primum et secundum ductum nasi; palato molli a cavitate oris separatur. Non magis distincte audimus, si sonum aliquem infra cavae narium edimus, quam si supra. Eos, qui difficulter audiunt, os diducere et pendulâ maxillâ auscultare, inde explicatur, quod condylus maxillæ partem cartilagineam meatus auditorii ex-

externi paululum comprimat, 1) maxillâque diductâ, magis amplificatur (quod, dito in aurem immiso, facillime clareque a quovis sentitur), inde maiorem recipit numerum undulationum; 2) praeterea illi non os, sed aurem dirigunt ad eam partem, unde sonum audiunt: et, quod attinet ad argumentum petitum ex occlusione tubae, varios attulimus effectus noxios, qui hoc in casu surditatem afferre possunt.

Argumentum tamen, quod afferunt scriptores, aëris vibrationes non transmitti ad aurem medium, scilicet, quod horologii ita ad imum os demissi, ut nec dentes nec mandibulas tangat, pulsationes, obturatis auribus externis, nequaquam audiantur, nihil probat, nam hac in re, aut respiramus per os, quum ope palati mollis via ad nares et tubarum ostia praecluditur, aut respiramus per nares, quum palatum molle ad linguae dorsum applicatur, atque aëris ex cavo oris secluditur a choana narium, ut in utroque casu horologii tinnitus ad tubam pervenire non possint.

Monendum tamen, si tubae E. apertae aëris communicationem liberam admittant cum aëre pharyngis, vix negari posse videri, hujus aëris sonos tremulos

1) In senibus hoc sit jacturâ dentium, quod si locum habet, maxilla musculis superiora versus ducitur, quo efficitur, ut jactura illa dentium frequens sit surditatis causa. Hac de re primus monuit *Larrey*. vid. *Lincke*. *Sammlung auserlesener Abhandlungen und Beobachtungen aus dem Gebiete der Ohrenheilkunde*. Zweite Sammlung. pag. 80. sqq.

2) Miram est hoc ab *Itard* negari. vid. ejus *Traité des maladies de l'oreille et de l'audition*. Seconde édition. Paris 1842. Tom. I. pag. 91.

cum aëre in tubâ praesente prorsus non communicari: ita etiam sternutationem, exscretionem muci longe fortius in nobismet ipsis audimus, quam in aliis.

Similibus fere argumentis probare conatus est vir doct. Bressa<sup>1)</sup>, tubae E. munus praecipuum esse, ut propriam nostram vocem audiamus. Praeterea hoc affert, ut dicat vocem nostram, si loquamur auribus externis obturatis, tamen clare audiri: fugit eum, quantum valeant partes durae cranii ad sonum ducendum ad organon auditus in os durissimum corporis inclusum. Quanti sit momenti hic modus communicacionis per solidas scilicet mollesque etiam corporis partes, abunde docet auscultatio, qua respirationem quin et valvularum ossificatarum cordis susurrus percipere possumus.

Praeterea ostendere conatur, viam soni per pharyngem et tubam longe breviorem esse quam per meatum externum, quae via insuper esset retrograda, nam in omnibus animalibus auris magis minusve ad posteriorem partem oris posita est, quo soni intensitas diminuitur. Constat certe tremulationes aëris sonoras, ex ore emissas, facilius per tubam E., atque breviore via posse ingredi, quam per arcuatam illam longamque viam per meatum externum, sed, uti jam monuimus, videtur vox propria maxima pro parte per ossa cranii communicari; vix enim posset intellegi, qua ratione distincte perciperemus vocem nos-

---

1) *Ueber den Hauptnützen der Eustachischen Röhre.* Pavia. 1808 in Reil. *Archiv für die Physiologie.* Bd. VIII. pag. 67. sqq.

tram in larynge et ore efformari, si tantum per aurem externam communicaretur, tunc enim radii sonori eodem sub angulo fere aurem ingrederentur atque omnis alias sonus externus.

Exemplum, quod affert auctor, piscium, in quibus, quum voce careant, etiam tuba desideretur, falsum est, nam in piscibus vibrationes ope medii, in quo habitant, aequa bene cum aure communicantur atque in nobis ope aëris atmosphaerici.

Monet Scarpa: <sup>1)</sup> „Si tubae E. praecipuum munus esset sonos ad cavum tympani et ossicula auditus traducere, non esset, cur in serpentibus, in quibus ossiculum auditus adest, desideraretur.”

Addit Itard: <sup>2)</sup> „si les sons pouvaient pénétrer dans la caisse du tympan par la trompe d'Eustache, ils se trouveraient, chez l'homme qui entend bien, en opposition avec ceux qui arrivent à la caisse par le conduit auditif; la membrane du tympan serait placée entre deux tendances opposées; les ondes sonores seraient confondues et confusément transmises par la caisse au labyrinthe, et l'audition serait notablement altérée.” — Hoc argumentum parum valere nobis videtur: idem enim de ossium sonos tremulos transmittentium vibrationibus dici posset; monendum vero obstructione meatus externi auditum, etiam vocis propriae, obtundi, non tantum quod accessus aëris externi minuitur, sed quia simul aër, qui est in meatu ex-

<sup>1)</sup> *Anatomicae disquisitiones de auditu et olfactu.* Ticini 1789. Fol. pag. 58.

<sup>2)</sup> I. c. Tom. I. pag. 92.

terno, includitur, ad quam rem vix attendisse videntur auctores; hic enim idem casus est ac seclusio tubae E.; si enim digitum in aurem externam immittimus, illam obstruimus, aëris in meatu illo ab omni parte inclusus est, quo fit, ut liberae vibrationes membranae tympani aequa impediantur, ac si tubae ostium fuerit obstructum; hoc tantum intercedit discriminis, quod in uno casu aëris qui est in cavo tympani, in altero aëris externus digito inclusus liberas membranae tympani tremulationes impedit; hinc, si aurem externam obstruimus, vocem propriam non adeo clare audire possumus, quod fit non tantum, quia aëris tremulationes ad aurem externam accedere minus facile possunt, sed quod membrana tympani tensa aëre extra inclusa, difficilius vibrationes admittere queat, quae ceteroquin per tubam E. cum illo communicarentur; membranā tympani enim immobili factā, ita ut vibrare minus rite possit, vibrationes aëris in cavo tympani etiam diminuuntur, sive obstructio sit in aure externā, sive in tuba E.; igitur tremulationes sonorae, quas per fenestram rotundam ipsum labyrinthum ingredi necesse est, vix perficiuntur.

-nobis esculptissimis viris non tanta sit inhibita, certe  
-ut circunlocutio de his aliis non nobis satis clara; et rotundus int  
-ermititiam amittere et metere in artificib; unius est. Et sed  
-etiam iure de locis nuncius ut illa amittere nulli  
-excedat etiam invenientur in eis, ut cum propter eius membrum  
-unito debet esse. Undequeque varijs inservit ea  
-amittere, sed etiam perire potest hoc; amittere non  
-potest, etiam si tuba non sit nisi pars di longa  
-quidem, etiam si tuba sit longa pars di longa  
-tubae.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE SYRINGITIDE.

Quum tuba E. prudenter positionem adeo abscon-  
ditam ab omni parte defensam habeat, mirum non  
est, directas ejus laesiones morbosque protopathi-  
cos esse raros; deuteropathice tamen saepe eam af-  
fici posse, nemo mirabitur, si tubae positionis et con-  
structionis rationem habet.

Si solummodo ad tubae fabricam attenderemus, facile  
poneremus mucosae inflammationem, quippe quae tela  
praedisposita sit et insuper cum pharyngis et cava-  
tis tympani mucosâ nullo intervallo cohaereat, non  
raram esse debere, quod experientia quoque docet.  
Fere semper tamen ejus inflammatio sequitur inflam-  
mationem aliarum partium adjacentium, et, exceptis  
laesionibus mechanicis, syringitis rarissime protopathica

invenitur; quum vero partes vicinae, imprimis guttur et fauces, aëris injuriis aliisque facile morbose afficiantur, mirum non est, tubam etiam saepius in consensum rapi et deuteropathice affici; hinc ob frequentiam illius affectionis deuteropathicae, tum propter sequelas graves, ejus cognitio maximi habenda est momenti, quandoquidem plurimae surditatis causae (teste saltem Deleau) in hac parte oriuntur, unde postea cum cavitatibus et canalibus altius positis se communicant.

#### SYMPOTMATA ET DIAGNOSIS.

Investigare posse magnam partem artis existimo.

Hippocrates.

Je ne crains pas d'avancer que le peu de progrès que les médecins ont faits dans l'art de traiter les surdités, sont dus à leur incertitude sur le diagnostic des causes prochaines de cette infirmité.

Deleau.

In acutâ syringitide sequentia symptomata observantur: dolor continuus, lancinans, ex parte posteriore, superiore, laterali pharyngis interiora versus ad aurem sese extendens, qui dolor aegris videtur ad meatum auditorium externum pervenire. Aegri ejus decursum definit ex cavitate glenoidea, os temporum inter et maxillam inferiorem, angulum maxillae inferioris versus, vel vice versa progredientem.<sup>1)</sup>

---

1) In illo casu, ubi syringitis sequela est inflammationis partium

Quivis motus: deglutitio, masticatio, sternutatio, os-  
citatio, etc, quo musculi tubae vicini moventur, do-  
lorem auget. Baryecoia vel major vel minor syring-  
gitidem comitur. Sensus plenitudinis vel obturatio-  
nis morbo illi communis est. Susurrus aurium tan-  
quam symptoma constans nonnullis et quidem prae-  
stantissimis scriptoribus (Itard, Lincke) commemo-  
ratur. 1) Quando tuba cum partibus vicinis inflam-  
mationem communem habeat, signa locorum indica-  
bunt; si cum cavitate tympanica, haec membrana vi-  
su erit madida, nitens atque rubra; si cum pharyn-  
gis partibus posterioribus, m. mucosa ibi rubescet,  
vel muco tenaci, albido erit obducta et cetera sym-  
ptomata anginae magis minusve erunt manifesta.

Quum causae syringitidem afferentes symptomata  
moderentur, et causa non perspecta, curationis mol-  
mina vana futura sint, varietatem symptomatum, sive  
causa sit catarrhalis, sive scrofulosa, sive syphi-  
litica, paulo fusius exponere nobis non inutile vide-  
tur, qua in re Linckium 2) imprimis secuti sumus.

---

ostium pharyngeum cingentium, dolor primum ad angulum maxillae  
percipitur et sensim ascendit.

1) Ex tabulis statisticis mille casum morborum aurium a Gra-  
mero professore Berolinensi confectis, excerptis illis in *Canstatt. Jahresbericht*. Ister Jahrgang. *Leist. der Otiatrik*,  
pag. 18. patet, neque aliis aurium, neque tubae morbis, quos satis  
accurate et quidem saepius observare ei licuit, unice proprium esse  
susurrum: ex iis, quae Cramerus observavit, doct. Heidenreich,  
scriptor in diario mox allato, concludit, « dass sich rücksichtlich des  
Ohrestörens durchaus keine Regel, noch irgend eine diagnostische  
Bedeutung desselben angeben lässt.»

2) Schmidt, *Encyklopädie der gesammten Medi-  
zin*. Leipzig 1841. Bd. II. pag. 355. sqq.

*Syringitis catarrhalis* sedem habet in m. mucosâ et fere semper eodem tempore oritur, quo inflammatio membranae Schneiderianae, mucosae superioris pharyngis partis, sinuum frontalium, antrorum Highmori, laryngis, etc. In casibus levioribus accusant aegroti sensum molestissimum, quasi pilus adasset in superiore parte pharyngis, vel revera dolorem intermittentem, et propter sublatum aequilibrium inter aërem externum atque eum, qui tympano continetur, in hoc percipitur sensus plenitudinis, susurrus continuus cum difficultate audiendi. Si aërem in tympanum impellere tentat aeger, notâ illâ methodo a Valsalva descriptâ, non nisi post repetita conamina hoc ei succedit cum sensu doloris usque ad meatum auditorium sese extendentis. — In graviore casu aeger dolorem accusat lancinantem, pungentem, ex collo (ut ajunt) ad aurem internam decurrentem, motu maxillae inferioris et deglutitione auctum, vespere et primâ nocte intensiorem. Ad susurrum et tinnitus aurium accedit sensibilitas aucta, qua soni, licet leviores sint, vehementer afficiunt aegrum. Aēr in tubam induci non potest. Quum secretio muci secuta est, sensus dolorifici intensitas minuitur, barycoïa tamen persistit, et, quum propriam vocem aegre audit, fortior vocem edere quam solebat aeger coactus est. Barycoïa matutino tempore est maxima, quae, die progrediente, postquam exscrectione, sternutatione etc. aegrotus mucum solvit atque edidit, imminuitur. Si catheter induci et aēr hujus ope impelli potest, rhonchus auditur mucosus. Si resolvitur morbus, muci secretio diminuitur et sensim sensimque

evanescunt susurrus atque baryecoia. Si non resolvitur, in chronicum statum transit, ad recidivas valde dispositum. In casu illo chronicō aegrotorum praecipuae querelae sunt sensus plenitudinis, susurri atque baryecoia. Conditio aēris magis minusve humida symptomata illa moderari potest; tempestate humida, nebulosā molestia augetur, serenā vero res melius se habet. Si exspiratione quādam fortiore parietes a se invicem deducuntur, per tempus susurrus evanescit et auditus in integrum restituitur: interdum hocce sponte fit cum sensu detonationis in aure.<sup>1)</sup> Quum in illo statu blennorrhagico saepe recrudescat inflammatio, m. mucosa hypertrophica fit et formantur excrescentiae carunculosaes.

Ad frequentissimos et pervicaces pertinent casus ex dyscrasia *scrofulosa* originem ducentes. Incipit inflammatio ab affectione m. mucosae et cryptarum mucipararum, unde postea ad ceteras telas proserpit. Symptomata cum syringitide catarrhalī ita conveniunt, ut in initio interdum discerni nequeant. Si nullo successu adhibetur curatio anticatarrhalis, suspicio oriri potest causam subesse scrofulosam, quae sententia probabilior fit, si aegroto est habitus scrofulosus. Syringitis scrofulosa ex una tuba ad alteram migrare tendit, et cum inflammatione partium vicinarum, ex. gr. membr. mucosae pharyngis, nasi atque

1) Hoc phænomenon a Cramero ita explicatur, ut, quum canalis muco illo obturatus sit, resorptione aëris aequilibrium inter aërem atmosphaericum externum atque tympani sublatum sit, quo impedimento sublatō aër externus cito intrans concutiat membr. tympani.

amygdalarum vicem mutat. Praeter memorata syringitidis catarrhalis symptomata, notandum est amygdalas, palatum molle atque cavitatem pharyngis esse in statu subinflammatorio, tumido tectaque muco crasso atque tenaci.

*Syringitidis syphiliticae* symptomata multum convenient cum illis, quae in tubae inflammatione catarrhalis observavimus. In pharynge praeterea ulcera observari licet cum marginibus callosis sibi propriis. Si palati atque nasi partes durae affectae sunt, pus foetidissimum ex naso effluet. In casu inveterato etiam in aliis corporis partibus morbi syphilitici indicia aderunt.

Nequaquam tamen manifesta semper sunt hujus morbi symptomata, neque facilis ejus diagnosis. Difficultatibus premitur in infantibus et in iis, qui, quod sentiant, non dilucide exprimere possunt; quae de praegressis enarrant, nullam fidem merentur aut nihil indicant; nullus adest dolor, secretio mucosae pharyngis convestientis non aucta est, membr. t. et cavitas pharyngea a statu normali non aberrant: cophosis magis magisque increscens interdum unicum morbi est phaenomenon.<sup>1)</sup>

Licet angina chronica sanata sit, fieri tamen potest, ut perduret syringitis. (Petrequin<sup>2)</sup>)

1) Concretionem, tanquam sequelam inflammationis praegressae, quae nullis symptomatis sese indicavit, saepe occurrere in sanguinis, M. Frank est auctor. vid. ejus *Practische Anleitung zur Erkenntniß und Behandlung der Ohrenkrankheiten*. Erlang. 1845. pag. 357.

2) Lincke. *Sammlung*. V. pag. 231:

Inquisitio, quae fit ope catheteris, multum lucis afferre poterit, et usui ejus in examine aegrotantis et in therapiā otoiatria progressus debet, quibus in praesenti gaudemus. Auditus enim et tactus ope possumus inflammationem, liberam vel impeditam conjunctionem cavitatis tympani et cavi pharyngis, praesentiam fluidorum in tubā E. et cavitate tympani invenire atque definire.

Ut inquirerent, num tuba esset permeabilis, varias medici secuti sunt vias. In statu sano, durante actione deglutitionis, adest sensus plenitudinis in aure atque sonus quidam singularis auditur, qui, tubā obturatā, desunt. Si, ore nasoque clausis, fortē exspirationem facimus, aërem per tubam in cavum tympani intrare sentimus.<sup>1)</sup> Sunt tamen inepti homines, qui hoc experimentum prae ingenii stupore facere nequeant; in infantibus quoque adhiberi illud non potest. Igitur Lentin<sup>2)</sup> ea ratione usus est, ut capite aegroti in mensā collocato, aurem externam aquā tepidā impleret, et naso oreque clausis, aegrū fortē exspirationem edere juberet; si aqua non moveretur, tubam clausam esse, si moveretur, non obtutratam censebat. (Si apertura praeternalis (nam de hiatu Riviniano ad normam pertinente nulla lis est inter hodiernos anatomicos<sup>3)</sup> in membranā tympani

1) A Valsalva primum commendata est illa ratio ad pus ex aere media educendum, in opere: *de aere humand tractatus*. Traj. ad Rh. 1707. pag. 84.

2) *Beiträge zur ausübenden Arzneywissenschaft*. Leipz. 1798. Bd. II. pag. 130.

3) Vid. hac de re Hyrtl. l. c. pag. 53. sqq.

adesset, hoc durante exspiratione bullula aëris indicaret). Saepe tamen fallit haec ratio; raro enim invenitur aegrotus, qui caput adeo immotum tenere possit, ut aqua non moveatur. In iis aegris, in quibus nobilissimus medicus Itard per experimentum Valsalvae sibi certo persuadere non poterat, eādem ratione usus est.<sup>1)</sup> Multo melius tamen hunc scopum attingimus per catheterem, cuius ope vel solida, vel fluida, vel gazformia medium in aurem induci possunt. In catheterem, in ostium pharyngeum tubae inductum, immittitur chorda psalterii (instrumenti musici tetrachordi *viool* dicti chorda E et A), in qua divisio per numeros facta est. Si tuba in sano statu est, usque ad membranam tympani duci potest chorda, quae quum tangitur, sensus punctionis percipitur in aure. In casu quo non plane impermeabilis est tuba, chordae diametruſ indicabit gradum coarctationis, partis introductae longitudo et mensura determinabunt locum; si excrescentiae carnosae atresiae sunt causae, extrema chorda sanguine erit tincta; quum aegro videatur chorda retracta omnia ex aure secum ducere, gravem adesse coarctationem, naturae cartilagineae, (immedicabilem) monet Cramerus;<sup>2)</sup> si impermeabilis est ductus, chorda intrare non potest.

Mirum est non medicum, sed praefectum cursus publici (postmeester) Versaliensem, nomine Guyot, anno 1724, auctorem fuisse gravissimae morborum auris diagnosis rationis et remedii, qui, dysecoia labo-

1) I. c. Tom. II. pag. 92.

2) I. c. pag. 292.

rans, injectiones in tubam facere conatus est. Quum per os catheterem induixerit, dubitandum est, num in tubam ipsam revera pervenerint injectiones, sed potius quidem mucum, in pharynge ostium tubae obstruentem, abluerunt; nihilominus tamen ei honor tribuendus est, medicis unicam viam utilem indicavisse ad remedia in aurem medium inducenda. Fortasse ob difficultatem inducendi catheteris per os, illius inventione non usi sunt medici. Cleland Anglus, anno 1741 catheterem induci per nasum et aquam vel aërem inferri proposuit, <sup>1)</sup> atque utilitatem injectionum historiis morborum, quorum ex sex aegrotis quinque magis minusve auditum recuperaverunt, probare conatus est popularis illius Wathen, anno 1755 <sup>2)</sup>. Nihilominus tamen raro injectiones adhibuerunt chirurgi; quin nonnulli rem non perfici posse putabant. Tandem Saissy et imprimis vir praestantissimus Itard hanc operationem saepius instituerunt et ad perfectionem adduxerunt, quorum hic instrumentum excogitavit ad catheterem figendum, quod instrumentum paulum emendavit Cramerus, Möller magis complicavit, quod rursus Lincke simplicius reddidit. Effectus noxios ab injectione fluidorum metuendos non tamen silentio transiit Itard; <sup>3)</sup> tunc enim dolorem ab aegro percipi, comitantibus interdum syncope et vertigine, quem dolorem vel mox transire vel ad sequentem diem perdurare, cum cephalalgia nonnunquam et febre;

<sup>1)</sup> Lincke. *Sammlung.* V. pag. 43.

<sup>2)</sup> ibid. pag. 45. sqq.

<sup>3)</sup> Lentini jam de iis locutus est. I. c. pag. 129.

colorem faciei pallidum esse uti eorum, qui copiosi epistaxi exhausti sunt.

Quum injectiones imprimis ad inferenda medicamenta adhibeantur, has postea fusius tractabimus, et hoc loco breviter de embrochis (*douches d'air*) monebimus, quae maximi in diagnosi sunt momenti.

Quamvis eorum utilitas in curatione a Delavio nimis celebrata sit, permultum tamen in diagnosi valent. Cleland, uti vidimus, jam de illis locutus est, et Lentin<sup>1)</sup> praescripsit aërem calefactum induci (licet hoc remedium, non tantum diagnosticum sed therapeuticum praeferat injectionibus). Delavio debemus, quod tubae morborum diagnosticam egregio hoc adjumento ditavit<sup>2)</sup>. Dignoscit embrocharum operatum physiologicum et pathologicum: 1<sup>o</sup>. naturā sonorum, quos efficiunt embrochae, et loco, ubi audiuntur; 2<sup>o</sup>. mutationibus, quas in auditu faciunt: 3<sup>o</sup>. ex effectu, quem habent in sensibilitate. In statu normali aër, vi in tubam propulsus, efficit in membranā tympani sonum, quasi pluvia in folia arboris cadat (*bruit de pluie*, vel *bruit sec de la caisse*), quod repetitum videtur in eo, qui aurem suam apponit aegri auri; sonus hic tam fortis est, ut terreat aegrum. Si catheter tenuis est vel male in ostio pharyngeo positus, aër inter catheterem et ostium pharyngeum effugiens, huic motum vibrantem tribuit, qui perspicue prope aegri nares vel os apertum auditur (*bruit du pavillon*). Si volumine auctae amygdalae vel

1) l. c. pag. 128.

2) Magendie, *Journal de Physiologie*. Tom. IX. pag. 326. sqq.

intumescentia (stenochoria) membranae mucosae ostii pharyngei efficiunt inclusionem aëris adeoque surditatem, sonus eodem modo atque in statu sano audietur, et aequo motu aëris usque in cellulas mastoideas persequi licebit, atque auditus per longius breviusve tempus restituetur. Si embrochae corpus heterogeneum removerint, auditus in integrum restitutus erit. Tubâ vero coaretatâ, transituque aëris impedito, percipietur ronchus mucosus vel sibilans, admixto superiore illo *bruit de pavillon* dicto, neque aeger quidquam in intima aure percipiet. Recentiores inquisitiones docuerunt, perforatâ membranâ tympani, aërem per aperturam illam penetrantem peculiarem etiam sonum edere, si vacua sit cavitas tympani, acutum (*siffllement aigu de la membrane du tympan*), si fluida contineat, alium quoddam (*éclat de la membrane du tympan*), quem efficiunt parvac aëris bullae, per aperturam penetrantes.<sup>1)</sup> Inflammata tubâ vel cavitate tympani, aegro, quamdiu embrochae inferuntur, vel etiam post, dolor magis minusve excitatus erit; majore muci copiâ secretâ, sonus audiretur, quasi in albumen ovorum flatur aér (*bruit muqueux de la caisse*).<sup>2)</sup> — Si embrochis suscitur vel exasperatur dolor, ab illarum usu erit abstinendum, donec inflammatio sit diminuta.

1) Cannstatt. *Jahresbericht*. 1843. B. II. pag. 195.

2) Ad auscultationem processus mastoidei Laennec primus medicos attentos reddidit. vid. *Traité de l'auscultation médiate*. Par. 1826. Tom. I. pag. 125. sqq.

*not offinamulim (c) nntsseriq legyrdmli iteo stetit  
esdm tibit (8, sm AETIOLOGIA. (apqeb (i) mutellia*

Morbus senibus familiaris est. 1) Praedispositi sunt scrofulosi, syphilitici, rheumatici, qui in catarrhum, in coryzam, in anginam proclives sunt, qui morbum huncce antea passi sunt.

In causis recensentur: omne refrigerium, equitatio, cursus, vociferatio vento adverso, inflammatio partium vicinarum, inflammatio membranae mucosae cavitatis tympani, effluxus puris ex illo cayo per tubam (quod interdum, quamvis raro, fit), caries ossis petrosi, angina<sup>2)</sup> catarrhalis, searlatinosa et morbillosa, in anginā venerēa, mercuriali, et in phthisicorum anginā ulcere tum pulmonis, tum laryngis, tum pharyngis laborantium,<sup>3)</sup> dentium molarium eruptio in infantibus,<sup>4)</sup> aphthae, quae usque in tubam penetrare possunt, ulceræ pharyngis cuiuscunque naturae in vici-

1) Ex tubâ permultæ senum surditates originem ducunt, quod ignorsans erravit Lieutaud, dum scribebat: » la surdité de naissance, toujours incurable, vient d'une mauvaise conformation de l'organe: celle des vieillards, qui dépend vraisemblablement du dessèchement, ou de la paralysie des nerfs, n'est guères plus guérissable." *Précis de la médecine pratique.* Par. 1781. pag. 501.

2) Post anginam membranaceam observavi cophosin unius lateris sensim evanescentem.

3) J. Frank. *Praxeos medicae pæcepta.* Pars II. vol. I. Sect. II. pag. 928.

4) Burserius. J. P. Frank. Quum illam eruptionem in infantibus saepe congestio cavitatis oris et pharyngis totiusque tractus intestinalis comitetur, facile sese extendere potest in membranam mucosam tubæ.

nitate ostii pharyngi praeSENTIA, <sup>1)</sup> inflammatio tonsillarum, <sup>2)</sup> dyspepsia ex irritatione, <sup>3)</sup> rudis tubae catheterismus, injectiones in illam factae nimis corrodentes, corpora heterogenea. <sup>4)</sup>

Quae inflammatio ex anginâ originem dicit, ea saepissime utramque tubam afficit; protopathica vulgo unum tantum latus tenet.

---

1) Morbum in iis saepe occurrere, qui vitio horrendo, a Martiali. Lib. III. Epigr. 82. 33. reprehenso, sc̄e inquinant, auctor est Petrequin. (Lincke. Sammlung. V. pag. 228). Quamquam Rosenbaum in opere: *Geschichte der Lustseuche im Alterthume*. Halle 1845. surditatem inter sequelas horrendorum vitiorum antiqui aevi non commemorat, mirum tamen eset, si angina et ulcera tonsillarum, qualia inter alios Aretaeus descripsit (*de causis et signis acutorum*. Cap. VII, VIII et IX), quae tantarum ruinarum in narium et oris cavitatibus causae fuerunt, quas vir doctus ille Rosenbaum horrendo illo vitio attribuit, quamquam hac de re taceat, mirum eset, dico, si in tubâ magnam vim non habuissent.

2) Tonsillarum inflammationem effectum habere in tubâ affirmat Deleau; negant Kramer (l. c. pag. 306) et M. Frank (l. c. pag. 124), hic ex argumentis anatomicis nisi in casu, quo enormis tonsilla polyposa sursum retrorsum vergat; et quum illarum inflammatione saepissime in scrofulosis occurrat, scriptor ille opinatur, omnes glandulas pharyngis aequae atque tubae inflammationis participes esse, et remediis, quae tonsillam tumefactam ad pristinum volumen referunt, in ceteris quoque glandulis, etiam tubae, effectum habere.

3) Cannstatt. Jahresbericht. 1841. Leist. der Otoatrik. pag. 20.

4) Fleischmann, in Hufeland's Journal. 1835. Juni pag. 25. narrat, se post mortem in tubâ hordei spicam invenisse, quae per plures annos ibi inflammationem efficerat. Adducunt etiam exemplum, vermen (ascaridem lumbrioidem) ex abdомine in tubam pervenisse, ibique vehementem dolorem excitasse.

## DECURSUS ET EXITUS.

Morbi decursus perquam differt. Si vehementem otitudem internam comitatur, facile inflammatio illa ad duram meningem proserpit, eventu plerumque et brevi quidem letali: Celsus<sup>1)</sup> „aurium inflammaciones, inquit, doloresque interdum etiam ad demen-tiam mortemque praecipitant;” „juvenes quidem septimo die occidit, et citius delirio correptos,” ait Hippocrates.<sup>2)</sup> Inflammatio cum ossibus etiam communicari potest, effusiones fieri possunt per os temporum et transire in cranium.

Plerumque tamen valde chronicus est morbi decursus, et quod Cramerus<sup>3)</sup> de morbis aurium in genere affirmat, de 100 casibus nonnisi 2 occurtere, qui re verâ acutum habeant decursum, cuius rei causam ex fabricâ anatomicâ partium constituentium explicat, hoc ostendit, acutam syringitidem raro locum habere: saepe tamen per menses et annos continuos morbus protrahi potest, quod imprimis valet de illâ syringitide, quae dyscrasîa quâdam suscitatur. Tempestatis vis in genere magna est, maxima tamen in inflammatione catarrhali.

Syringitis satis mature et rite curata saepe tamen plenariam admittit sanationem, quando, quum idoneâ adhîbitâ curâ ad resolutionem perducatur, aëre infla-

1) *De medicina libri octo.* Lib. VI. cap. VII.

2) *Coacae Praenotiones.* Cap. IV.

3) I. c. pag. 40.

to rhonchus auditur mucosus ex muci secrezione auctâ; in diem dolor imminuitur, et quando liber aëris accessus restitutus est, evanescunt aurium susurrus atque baryecoïa; sibi relicta vel perverse (stimulantibus ex. gr.) curata, in blennorrhœam transit valde chronicam cum partium mollium degeneratione; vel lymphä plastica exsudatur (quod tamen raro), vel transit in suppurationem et ulcerationem.

Causæ exitui moderantur: blennorrhœa sequitur catarrhum; suppuratio frequens est syringitidis exitus in scrofulosis; ad ulcerationem et atresiam in syphiliticis morbus noster inclinat.

In urbibus majoribus saepius occurunt morbi aurium quam quidem rure, quod imprimis valet de urbibus Britanniae, ubi saepe observantur tubae morbi chronicæ, qui nonnisi diutius in continentis regionibus siccis calidisque degendo sanari possunt.

Aetate mediâ atque proiectâ homines morbo nostro multo magis obnoxii sunt quam quidem juvenes.

#### PROGNOSIS.

Non adeo fausta est prognosis. Vi naturae medicatrixis sanationes, vel in evolutionis periodis, ad rarissimos pertinent casus. Gradus baryecoïæ, aetas aegroti atque morbi duratio non tantopere ad prognosin valent. Si quidem nobis contingit inflammationem vincere, fere nunquam tolli possunt sequelæ inflammationis neglectæ, nempe degeneraciones membr. mucosæ; vel inflammatio ad cavitatem tympanicam

sese extendit, materies ibi accumulatur et fere semper membranam tympani perforat Itard<sup>1)</sup>, vel ad partes altius sitas proserpit, quibus mederi vix aut ne vix quidem licet: (exiguae tantum reliquiae ibi sufficient ad efficiendam notabilem auditus laesionem, et hanc causam esse, cur sensus auditus non restitueretur, quamquam syringitis plane esset resoluta, Itard jam suspicatus est). Si os simul erit affectum, cura diuturna erit et incerta. Si vehemens inflammatio in encephalitidem transit, et si effusiones per os temporum in cranium fiunt, vita subito saepe extinguitur. Mala quoque prognosis, ubi blennorrhoea subito supprimitur. Atresia, si non plane inmedicabilis est, uti opinatur Kramer,<sup>2)</sup> nonnisi in singulari casu spes quaedam salutis superest.<sup>3)</sup> Lympha plastica non facile tollitur. Blennorrhoea membr. mucosae vinci potest, sed nisus ad recidivam permagnus est imprimis apud eos, quos inter praedispotitos enumeravimus.

Si causa est catarrhalis et non nimis diu duravit morbus, prognosis non infausta.

Ceterum pendet: a morbo primario, a tempore, quo medici imploratur auxilium, a loco affecto, a curâ adhibitâ.

Quod ad extensionem attinet, observandum est, facilius esse, mederi inflammationi, saltem intumescentiae, generali quam partiali.

1) I. c. Tom. I. pag. 345.

2) I. c. pag. 307.

3) Lincke. Handbuch. Tom. II. pag. 476.

Nihilominus tamen, nostro tempore, post inventa Guyoti et Delavii, quum diagnosis sit certior atque medicamentorum administratio facilior, nobis non tam infausta est prognosis quam quidem decessoribus nostris.

CURATIO.

Nec labor ad succurrendum detractari, nihilque omitti debet. Pleraque enim non raro praeter opinionem succedunt.

Alexander Trallianus.

Exerceto circa morbos duo: ut juves, aut non noceas.

Hippocrates.

Summâ ope in syringitide eniti debemus, inflammatio ne transeat in cerebrum, vel in exsudationem lymphae plasticae, et ut ita metuendam encephalitidem vel atresiam prohibeamus. Sanguinis detractiones in acutâ morbi formâ primum locum occupant: si satis intensa est reactio in systemate vasculooso, a morbo solo vel a morbo, quem syringitis comitatur, suscitata, sanguinis detractionibus generalibus carere non possumus, nec non praetermittenda sunt remedia interna sanguinis phlogosin temperantia, sc. Nitrum in decocto demulcente vel Calomel (certe si tractus cibarii conditio horum usum non vetat). Solis tamen illis remedii generalibus non facile syringitidem plane pelleremus, et ob metuendum transitum in statum chronicum, morbus in ipso loco, quantum in nobis est, aggrediendus est. Applicandae sunt hirudines No. IV - X juxta ramum maxillae inferioris, tamdiu repetendae,

quamdiu permanet dolor. Inde ab initio morbi a cavitate glenoideâ, inferiora versus, infricandum est ung. Hydrargyri, magnitudinem ciceris aequans. Quies commendanda est; abstineat aeger a loquela, et, nisi summa jubente necessitate, illos motus perficiat, quibus muculi tubae vicini in actum ducuntur. Diaeta sit tenuissima, aëris temperatura moderata. Inhalationes vaporum tepidorum, emollientium sunt commendandæ, quod optime perficitur, si ope infundibuli inversi supra aquam calidam in postremum guttur immittantur. Quum gargarismata, ut ad locum affectum perveniant, requirant intensionem muscularum tubae vicinorum satis validam, magis nocent, quam quidem prosunt. Non inutile est aliquoties de die ostium pharyngeum purgari mucō accumulato injectione fluidi cuiusdam emollientis, vi tamen, quam fieri possit, minimâ; si vero illæ dolorem vel minimum augeant, statim sunt omittendæ. A curâ derivante parum erit sperandum; praecavendum tamen erit, ne congestio ad caput perveniat, quare adhibenda sunt pediluvia; alvo solutæ prospiciendum est, et quum cathartica, quae hoc in casu adhiberi fas est, Mel, Manna vel Oleum Ricini non raro vomitu promoveant id, quod praecavere conamur, nempe congestionem ad caput, clysmatum injectio longe tutior erit.

Nequaquam tamen semper contingit anteverttere suppurationem. Dolor exacerbatur, antea lancinans, magis fit pulsans, aeger sensum plenitudinis percipit in aure horroresque et calores alternantes in suppurationem transiisse inflammationem indicant. Hanc oti-

tidem valde esse dolorosam constat; quod si quis attendat ad multitudinem nervorum, qui per cavum tympani decurrunt et directe obnoxii sunt inflammationis actioni, nemo mirabitur. Quum in statu sano tubae E. diametruſ materieſ, quae puris habeat crasitudinem, transitum vix admittat, monere non opus erit, nequaquam hoc fieri posse in tubâ inflammata. Accumulatur igitur pus in cavo tympanico, quod si inspectio ocularis membranae tympani conjunctim cum dictis signis, ostendit, eito ad perforationem vel potius ad trepanationem membranae tympani, in ejus parte inferiore, transeundum est.<sup>1)</sup> Si non adhibetur illa artis methodus ad pus educendum, hoc adeo accumulatur, ut membranam tympani extus protrudat, et tandem membrana illa rumpatur et pus effluat. Sed gravem committeret errorem, si quis naturae hoc perficere reliquerit, nam a perito chirurgo instituta, non periculosa est operatio, et in ultimo casu pus nimis diu retentum solvit conjunctionem inter ossicula auditus, ita ut multa exstent exempla, illa omnia cum pure effluxisse et surditatem insanabilem reliquisse.<sup>2)</sup>

1) De hisce conf. Hendriksz., *diss. de perforatione membranae tympani*. Gron. 1828.

2) Si non pus sed lympha plastica effusa est in cavo tympanico, pseudomembranis totum cavum repleri posse et ita surditatem afferri, exempla docuerunt. Saepius cavum tympani lymphâ plasticâ tenaci repletum in surdorum cadaveribus se invenisse Cl. Promotor mecum communicavit; etiam os petrosum cavum tympani sursum obtegens aliquando magis minusve affectum deprehendit; scilicet, quando membrana cavum tympani intus conuestiens inflammatione degeneravit, os ipsum brevi afficitur atque, carie ortâ, corroditur;

Praeterea apertura non semper loco idoneo fiet neque satis ampla, et quum facile obstruatur et iterum crescat, tandem tamen ad operationem erit confugendum. Apertura facta aperta servetur, nam nisus sese occludendi permagnus est, et injectiones per illam fiant, quae rem saepe ad bonum conducunt finem.

Mitior erit cura, si chronica est syringitis. Nunc a curâ causali permultum erit sperandum, et quamvis non facile syringitidem chronicam sine curâ locali victuri simus, verum etiam est, sine curâ causali saepe vana esse omnia artis praesidia. Imprimis hoc valet de syringitide, quae ex dyscrasiâ syphiliticâ vel scrofulosâ nascitur aut eâ exacerbatur: si talis casus obviam veniat, curam causalem primum locum tenere, non opus est ut moneamus: de curâ antiscrofulosâ vel antisyphiliticâ fusius disserere non hujus loci est. Sanguinis detractiones non omnino sunt rejiiciendae, et pro re natâ detractiones locales effectu non carebunt<sup>1)</sup>. Si omnis irritatio evanuit vel ab initio inde exigua fuit, canalis muco praesente purgetur. Interdum ad auditum in integrum restituendum sufficere, ostium liberari muco, casus Guyoti probat. Lentin eum in finem proposuit, ut specillum cum frustulo carnis adhiceretur, et recentiores catheterem cum fundibulo inverso perforato vel nisi-

---

porro, quum hic loci os petrosum admodum tenue sit, facile dura meningix illud obtegens simul in consensum rapitur oriturque meningitis.

1) Num probandum sit sanguinis Uncias ij alternis diebus fundi, idque per menses aliquot continuari, ut auctor est scriptor nobilis, equidem valde dubitem.

ternâ praedito (*grietervormig*) proposuerunt. Recentissimis temporibus Petrequin<sup>1)</sup> Sulphatem Aluminis commendavit in illâ affectione, ubi oclusio ostii pharyngei tubae sequela sit inflammationis chronicae in parte pharyngis ei vicinâ. Tribus modis utitur: vel in gargarismatis, vel in inflationibus, vel in substantiâ ut caustico. In decocto quodam demulcenti Unciarum iv, cui addit syrupi Mororum  $\frac{3}{3}\beta$ , prescribit Aluminis  $\frac{3}{3}\beta$ , quod ut gargarisma per diem sumitur; hoc gargarisma, quam diu potest, retinendum est in pharynge; Aluminis dosin auget ad  $\frac{3}{3}j$  vel magis etiam, secundum aegri sensibilitatem. Porro inflari jubet semel vel bis de die pulverem Aluminis  $\frac{3}{3}\beta$  vel j, cui addit Sacchari albi  $\frac{3}{3}\beta$ . Nonnisi hora dimidiata post inflationem gargarismate uti decet. Ut effectum hujus remedii augeat, alternis diebus vel tertio quoque die amygdalas, velum palati et pharyngis parietem posteriorem Aluminis frustulo tangit. Posteriores observationes Aluminis usum ei confirmaverunt<sup>2)</sup>. Egregiam Aluminis gargarismatis formâ exhibiti hac in re virtutem se saepius observasse, Cl. Promotor mihi auctor est. Ita puella 25 fere annorum, quae saepius catarhalibus affectionibus cum anginâ fuerat affecta, et iam per annum dimidiatum et quod exurrit surdastra evaserat, solo gargarismatis aluminati usu, bis ter quaterve de die repetito, intra tres dierum hebdomades plane auditum recuperavit, posteaque retinuit. — Imprimis talia gargaris-

1) Lincke. *Sammlung* v. pag. 233.

2) Canstatt. *Jahresbericht*. 1841. pag. 19.

mata indicata sunt, si affectionibus catarrhalibus repetitis laxitas membranae mucosae orta fuerit; quando vero tuba magis intus affecta est, atque obstructio, secreto muco vel degeneratione membranae mucosae in parte altiore orta fuerit, non amplius bonum effectum habere poterunt; in acuto casu surditatem, ex catarriali affectione et nimiâ secretione muci in tuba ortam, brevi depulsam esse inspiratione vaporis aquae ope tubi conici, infundibuli formam referentis in pharyngem inducti se observasse Cl. Promotor mihi narravit. Sunt, qui commendent inflari Nitratem Argenti pulverisatam vel puram vel Saccharo mixtam, Sulphatem Zinci, vel Sal Ammoniacum; dubitaverim, num acerrima illa medendi ratio commendanda sit.

Quae, quum non sufficient, injectiones in tubam ipsam sunt instituendae. Catheteri, his injectionibus inservienti, variam formam dederunt medici; in hisce tamen convenient, quod ejus longitudo sit pollicum 6, et angulus curvaturae graduum faciat 130 - 140. Cleland catheterem ex argento confectum excogitavit, et fere omnes medici catheteribus ex illo metallo confectis usi sunt. Etiam ut ex chalybe fieret, propositum est. Deleau utitur cathetere ex gummi elasticō facto, in quem induxit specillum solidum communis catheteris formam referens, quod tanquam conductorem adhibet: cathetere in tubae ostium immiso, conductor extrahendus est, ut injectiones induci possint; hunc, quia multa incommoda affert, in pluribus casibus rejecerunt medici; quum tamen usque ad partem tubae osseam immitti possit, in illo casu, quo materies aliena in cavo tympani praesens, per

aperturam in membranā tympani factam, emitti possit, humor paulo majore vi intrudi debet, et tunc magnae utilitatis ejus usus esse potest. Lincke extremitatem catheteris ex gummi elasticō conficiendum curavit.

Catheterem a Saissy propositum, qui duplēcēm habet flexuram, omnes rejecerunt.

Apex catheteris rotundus sit, oportet; ejus initium sit amplum, ut recipiat clysterem oricularem, eique affixi esse debent vel duo annuli vel parva lamina (secundum Lincke), quae directionem indicent partis curvatae; divisiones in cathetere sint exsculptae; ejus diametru s aequare debet lineam 1 - 2.

Injicitur aqua tepida, solutio Muriatis Ammoniae vel Aluminis, Nitratis Argenti, cui addiderunt tinteturam Opii atque Acetatem Plumbi <sup>1)</sup>. Medici Gallo-francici commendant injectiones aquarum Baretginensium (Barres) earumque, quae prope Balaruc inveniuntur.

1) R<sub>p</sub>. Mur. Ammon. 3 β - j.

Alum. crud. 3 j.

solve in

Aq. destill. 3 viij.

M. S. Injectio.

Lincke.

R<sub>p</sub>. Nitr. Arg. Cryst. 3 j - 3 β

solve in

Aq. destill. 3 viij.

adde

Tinct. Opii Croc. 3 j.

Acet. Plumbic. 3 β.

M. S. Injectio.

Lincke.

Itard praeter aquam tepidam injiciebat aquam marinam, solutionem Muriatis Sodaem, oxydi Ferri, vel decoctum herbarum adstringentium, tincturam aetheream Asari vel Arnicae, quibus tincturis addere solebat duodecim partes aquae, praeterea decoctum herbae Nicotianae.

Si, quid de hisce injectionibus sentiamus, dicere fas est, nobis videtur a priori determinari non posse, quoties de die injectiones facienda sint. Hoc pendere debet a fine, quem sibi proponit medicus, a conditione tubae et ab aegri sensibilitate. Quamdiu tuba non prorsus permeabilis est, in eum finem adhibeantur, ut mucus in tubâ haerens solvatur et educatur; toties de die institui debent, quoad eas ferre possit aeger. Si tuba magis permeabilis facta est, sed cavum tympani muco adhuc est repletum, eas continuari licet, imprimis si immissi liquores per aperturam in membranam tympani aptum habent egressum. Contra, si cavum tympanicum in statu normali est, quia non tam cito effluunt injectiones, quantumvis sint mites, tamen in cavo retentae commoratione irritabunt partes ibi sitas. Incipiendum erit ab injectione solius aquae tepidae, quam si non brevi sequitur morbi sanatio, ad usum solutionis dilutae Aluminis erit transeundum; fortiores magisque irritantes caute et prudenter adhibendae sunt semperque attendat medicus immissos liquores directe cum nervis in contactu ponit atque membranam nervis plenam facile irritare posse, ut etiam inflammatio intensa sequatur.

Licet, uti monuimus, jam praecedenti aevo non ignotae fuerint embrochiae, Deleau tamen optime

meruit hac in re, atque earum usum in therapeutica induxit, et nostro tempore quam plurimum a medicis adhibentur. Qua ratione Cleland aërem induixerit, non constat, probabiliter, quemadmodum Lentini, aërem inflavit. Itard per methodum Valsalvae vapores herbae Nicotianae, Coffeae fabarum, herbae Rutae, ope fumisugii inhalatos induxit, vapores aetheris ope catheteris. Deleau instrumentum satis complicatum excogitavit et postea publici juris fecit, cujus ope fluida, vapores et gaza inducere se testatur. Lincke adhibet follem; antliam, qua aër comprimitur, Kramer. Gairal simplici sacculo ex gummi elasticō confecto utitur. Ne vapores aquae nimis calidae in tubam induceret, Wolff machinam excogitavit<sup>1)</sup>, quam reprehendit M. Frank aliamque ei supposuit; nuperime etiam Berg<sup>2)</sup> Wolffii machinam vituperavit et novum apparatus descriptis.

Saepe tamen medico non succedit, ut aërem per tubam perducat; neque enim aërem nimia vi intrudi licet, quandoquidem tum imprimis erunt metuendae calamitates a Deleau allatae, sc. 1<sup>o</sup> inflammationis excitatio, 2<sup>o</sup> emphysema, ex aëre in telam cellulosa subcutaneam inducto ortum, quod emphysema, nisi statim opem feramus, mox magnam accipit extensio nem, 3<sup>o</sup> dilaceratio membranae tympani. Hoc in casu Ruete auctor est remedii gaz acidi Carbonici<sup>3)</sup>,

1) Hufeland's *Journal*. 1842. Juni. pag. 58. sqq.

2) *Beiträge zur Behandlung der nervösen Schwerhörigkeit mittelst eines neuen Apparates*. Berl. 1845.

3) *Canstatt. Jahresbericht*. 1841. pag. 11.

quod, si per 8 dies terve de die adhibetur, mucum secretum magis limpidum redderet et ad normam reduceret; machinam a Wöhler excogitatam, ut hoc gaz evolvatur et in tubam adducatur, M. Frank aptiore commutavit.

Hubert-Valleroux suffimenta substantiarum resinosarum, Benzoës, balsami Canadensis vel Peruviani, resinae Elemi, Picis nigrae liquidae, in tubam induci proposuit<sup>1)</sup>.

Si hac ratione tuba E. permeabilis reddit, parvam quantitatem aëris admittit, saepo tamen intumescit membrana mucosa et relaxata est, qua in ductus coarctatus ad normam erit reducendus. Kramer bonum effectum non vidit (dolorem quidem) adhibitæ vel Sulphatis Zinci, vel Laudani, vel Nitratis Argenti ope chordæ psalterii in tubam inductæ<sup>2)</sup>; improbat etiam candelulam ex gummi elastico factam, ab Itard et Saissy commendatam, quod ejus diametrus nimis magna sit, eandemque ob causam fungum compressum (*Pressschwamm*), a Deleau propositum, rejicit. Sola chorda psalterii, per aliquod tempus in tubâ relicta, optime ad propositum finem ducet.

Dantur casus, in quibus nullo modo nobis contingit nimiam secretionem vincere, quod imprimis valet, si morbus etiam in cavum tympani penetraverit. Nunc, perforatione membranæ tymp. factâ, ut mucus ex cavo tympanico effluere possit et inducta remedia tum per tubam tum per cavum tympanicum facile pene-

1) *Canstatt. Jahresbericht*. 1843. pag. 197.

2) l. c. pag. 298.

trent, facilius effici potest, ut pertinacem blennorrhœam superare possimus. Recentiores in repudiandâ perforatione membranae tymp., me judice, nimirum longe progressi sunt. Deleau eam adhiberi vult, nisi in casu, quo corpora peregrina in cavitate tymp. adsint. Quando tuba inflammatione coarctata est, liquor immissus difficiliter refluere poterit et facile in cavo tympani remanebit, injectio autem si nimirum vi instituta est, liquor intrare in cellulas mastoideas, vel membranam tymp. disrumpere potest; praeterea, si vel minima inflammatio eo in loco superest, injectionis impetu et irritatione augebitur; etiam quod tuba E. non ad fundum cavitatis tymp., sed paulo altius sita est, hoc parum favet liquoris refluxu; contra, si aperitur membrana tymp. loco idoneo, id. e. in suâ parte inferiore, omnia aliena, quae cavo continentur, ex eo educi possunt; fatendum quidem, perforationem membranae tymp. pluribus difficultatibus obnoxiam esse, scilicet aperturae factae concretionem vix posse impediri, ortaque cicatrice membranam illam indurari minusque aptam reddi, ut debitas vibrationes subeat, plures monent; at vero tenendum, obstructionem tubae chronicam aequa auditui obstare, quae nisi removeatur, surditas non cessat; metus igitur, ne auditus hac operatione pessumdetur, vanus est; nisi enim succurratur, restitui nequit auditus. Denique perforatio membranae tymp. imprimis successu gavisa fuisse videtur in casibus, in quibus obstructio tubae aderat, quâ obstructione non sublatâ, mirum non est, surditatem redisse membranâ iterum concretâ, quod igitur non a cicatrice in mem-

branâ tympani ortâ, verum a relictâ tubae obstruktione. Imo vero dubitandum, num sola membranae tymp. crassities aucta, i saltem non nimia sit, surditatem tantam efficere possit; ubi enim membrana tymp., inflammatione praegressâ, crassior facta est et exsudatio secuta est, ibi etiam sine dubio membrana mucosa cavi tympani inflammata erit, exsudationemque producit, quo in casu, cavo tympani lymphâ plasticâ repleto, tremulationes perfici et cum fenestrâ rotundâ communicari nequeunt; hinc illa surditas soli auctae crassitiei membranae tymp. adscribi vix potest: igitur, si tuba E. obstructa est, atque suspicio adesse potest, cavum tympani materie exsudatâ impletum esse, perforatio membranae tymp. utique indicata esse videtur. Embrocharum vis ad dilatandam tubam a recentioribus nimis celebrata est, et vir in arte nobilissimus Itard nunquam dilatationem per embrochas effici posse existimabat. Ad diagnosin statuendam embrochae nihilominus eximiae possunt esse utilitatis; si nempe rhonchus auditur in cavo tympani, si aëris illius operatur, et si praeterea motus liquidi contenti in membranâ tympani adspici possunt, (quod fieri possunt qui contendant), embrochae ad operationis indicationem conducere poterunt. Si injectio facta est, videtur nobis argumentis non carere, si paulo post aërem inflamus per tubam, ita ut omnia aliena ex cavo tympani educantur. Si inflammata est membrana tymp., ab ejus perforatione est abstinentum, donec ea mitigata sit. — In hisce omnibus caute esse agendum totamque operationem dexterim atque exercitatam chirurgi manum postulare, non opus est quod dicamus: hoc vero

teneat medicus, si prae metu hac operatione non utatur, (quae, rite instituta, nihil habet periculi,) atque ita liquida contenta e cavo tympani non removeat, surditatem pedetentim increscere. Fuerunt etiam, qui cavitatem tympani sugendo vacuam reddere vellent!!<sup>1)</sup>

Si atresia adest, tentari potest, num, caustico ope chordae psalterii in tubam inducto, tolli possit. Si non longe se extendit atresia, hoc in easu remedio illo tolletur; sin vero longius, haec ratio non sufficiet. Ut ope triquetri perforetur, quod proposuit Saissy, prorsus dissuadendum est.

Si, quod ad tubam attinet, acgro nihil sperandum relinquetur, membranam tymp. perforari licebit; quamvis enim Kramer hoc in easu membranae tymp. perforationem improbet, quod cavitatis tympanici degenerationem omni in easu adfuturam esse opinatur, Lincke tamen existimat, cavitatem saepe sanam, saltem perexiguam ejus affectionem esse posse, perforaque igitur, si membrana tympani nulla vel exigua signa affectionis morbosae simul praesentis praebet<sup>2)</sup>.

Perforationem processus mastoidei vitae quam periculosissimam, omnino negandum est.

---

1) *Canstatt. Jahresbericht*, 1843. pag. 197.

2) *Handbuch*. Tom. II. pag. 479.

for conditions and signs over the months, most  
commonly in the first few days after birth, when  
the body is still adjusting to the new environment.  
These changes may be subtle, such as loss  
of appetite, increased irritability, or difficulty  
breathing. In some cases, there may be more  
severe symptoms, such as fever, vomiting, or  
diarrhea. These symptoms should be reported  
to a healthcare provider as soon as possible.  
It's important to remember that each baby is  
unique, and what works for one baby may not  
work for another. If you're concerned about your  
baby's health, it's always best to consult with  
a healthcare provider. They can provide  
you with the information and guidance you  
need to ensure your baby is healthy and happy.  
Remember, your baby's well-being is  
your top priority, and you're doing a great job  
as a parent. You've got this!

## THESES.

---

### I.

Non admittenda est sententia a Magendie de  
sono primo cordis prolata.

### II.

Pulsus fallacissima res.

Stoll.

### III.

In statu normali tuba Eustachiana est aperta.

### IV.

In optandâ curatione saepe genesin morbi nosse,

omnium summi est momenti, et impugnatio causarum efficientium unica est ratio, quâ medicus levamen continuum, radicale se afferre sperare possit.

## V.

Vere judicat Canstatt: *der paroxysmenartige Wechsel zwischen Erregung und Nachlass der Reaction beruht nicht auf unterbrochener Wirkung des Reizes auf den Nerven, sondern auf unterbrochener Fähigkeit der letzteren, gegen den Reiz zu reagiren.*

## VI.

Notabile est, quod morbi salutares, id est, qui ad salutem machinae tendunt, longe frequentiores sint, quam qui in ejus perniciem cedunt.

F. Hoffmann.

## VII.

Graves et frequentes errores committeremus, si ex laesionibus in cadaveribus repertis statuere conaremur, quaenam symptomata in vita locum habuissent.

## VIII.

Minime faciendum mihi videtur cum Barth et Roger statuentibus: *la percussion constitue aujourd'hui avec l'auscultation la base la plus solide du diagnostic.*

## IX.

Attamen recte iidem auctores: *le médecin marche au milieu de trop de difficultés et d'incertitudes pour qu'il puisse se contenter du secours exclusif d'une seule méthode, et il ne saurait réunir trop de lumières pour percer l'obscurité du diagnostic.*

## X.

Theoriae non omnino sunt spernendae, et Frankio utique assentimur dicenti: sic ut apis quovis ex flore mellis quidquam sugit, ita et medicus in cuiusvis systhematis nectario boni quid invenire potest.

## XI.

Summa medici mihi videtur esse laus Morgagnio a Fabronio tributa: Quemadmodum in vita, sic in medicina, quae essent simplicia, amavit.

## XII.

*Alle Krankheitsheilungen werden durch die Natur bewirkt; die Kunst ist nur ihr Gehilfe, und heilt nur durch sie.*

Hufeland.

## XIII.

Morbum nosse est initium medendi morbis.

## XIV.

In magnis motibus nihil moveto.

## XV.

Iis non assentimur, qui actiones excitatas in organo materiâ tuberculosa repleto, contendunt esse molimen naturae ad noxia excernenda.

## XVI.

Crebrius, ac vulgo creditur, status nervosus indoctae arti quam naturae imputandus est.

P. v. d. Hoeven.

## XVII.

Febris intermittens causam sitam esse in miasmate paludososo, manca mihi videtur atque imperfecta explicatio.

## XVIII.

Choreae St. Viti causam in medullâ haerere, satis probabile.

## XIX.

Minime assentimur iis, qui in ventriculi affectione dolorificâ vesicatorium semper putant esse medicamentum innoxium.

## XX.

In initio scarlatinae a diaphoreticis omnino est abstinentum.

## XXI.

Errare nobis videntur, qui morbum Brightii ex inflammatione oriri volunt.

## XXII.

*Le désir de tout guérir a fait beaucoup de victimes.*

Vidal de Cassis.

## XXIII.

Perforatio membranae tympani utilis esse potest operatio.

## XXIV.

Hydrocelae curationem radicalem non semper admittendam esse censeo.

## XXV.

Eclampsiae parturientium partus absolutionem esse principem medendi rationem, contendō.

de la cõmuna de la parroquia a su nombre como el  
alcalde.

1721

de la villa andares, que pertenece al concejo de  
San Juan del Puerto, tiene por alcaldes  
a don Pedro Gómez de la Cuesta y don Francisco

1722

Alonso de Gómez de la Cuesta, que es vecino de  
la villa de Andares, que pertenece al concejo  
de San Juan del Puerto, tiene por alcaldes  
a don Pedro Gómez de la Cuesta y

1723 P. y J. Gómez

que son hijos de don Pedro Gómez de la Cuesta  
que es vecino de la villa de Andares, que pertenece  
al concejo de San Juan del Puerto, que es vecino de la villa  
de Andares, que pertenece al concejo de San Juan del Puerto,  
que es vecino de la villa de Andares, que pertenece al concejo de San Juan del Puerto.

1724

1725

Alcalde de la villa de Andares, que pertenece al  
concejo de San Juan del Puerto, tiene por alcaldes  
a don Pedro Gómez de la Cuesta que es vecino

de la villa de Andares, que pertenece al  
concejo de San Juan del Puerto, que es vecino  
de la villa de Andares,